# E S. RITUUM CONGREGATIONE

## DUBIUM.

Quum iuxta Decretum Sacrorum Rituum Congregationis diei 9 Decembris 1895 omnes Sacerdotes sive Saeculares sive Regulares Missas in aliena Ecclesia vel alieno Oratorio publico celebrantes omnino se conformare debeant dictae Ecclesiae vel Oratorio, ab eadem Sacra Congregatione postulatum fuit: Utrum Sacerdotes alienae Dioecesis obligentur etiam ad dicendam Orationem praescriptam ab Episcopo loci, ubi celebrant, an potius sint liberi ab hac Oratione imperata?

Et Sacra ipsa Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae reque mature perpensa, proposito dubio respondendum censuit: *Affirmative* ad primam partem; *Negative* ad secundam (1). Atque ita rescripsit. Die 5 Martii 1898.

C. Card. MAZZELLA *Ep. Praenestinus*
L. ✠ S. *S. R. C. Praef.*
D. Panici *Secretarius.*

(1) Cf. ea quae praecedenti numero pag. 174 hac de re diximus.

# QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

## SUPER SACRIS RELIQUIIS.

### IV.

Quadam in civitate peninsulae nostrae uti Patronus loci praecipuus concessus fuit ex indulto quidam Dei Servus, inter Beatos tantum ab Ecclesia adscitus. Cum autem Ecclesia Cathedralis praefatae civitatis insignem quandam servaret dicti Beati Reliquiam, legitime approbatam, censuerunt Canonici posse de ea alterum festum institui eiusdem Reliquiae causa. Quapropter consuluerunt ea super re Episcopum, qui tamen aperte respondit id esse vetitum, quia de Beato agitur, cuius nomen in Martyrologio Romano non describitur. Obstiterunt nihilominus Canonici, sustinentes optimo id iure posse fieri, quia agitur de Patrono, et ratio patronatus quid magis esse videtur, in quo minus contineatur, nempe privilegium officii et Missae ratione Reliquiae. Invitus licet, annuere pro bono pacis censuit Episcopus; dictumque festum coeptum est recoli cum officio ut in Breviario, et

Missa ut in Missali Romano, primo loco, imo et symbolum in Missa additum est. Eadem pariter ex causa, de qua superius, solemnem instituerunt Canonici processionem, dictam Reliquiam in illa deferentes. *Quaeritur:*

1. *Utrum Reliquiae insignes Beatorum, imo et Sanctorum in Martyrologio Romano non descriptorum honorari valeant, iure liturgico inspecto, cum officio et Missa, vel alio saltem modo cum cultu publico?*

2. *Num de Reliquiis insignibus Beatorum, si Patroni fuerint, officium et Missa celebrari possint, quidque de additione symboli sit censendum?*

3. *Quid de processione cum Reliquiis Beatorum, aut Sanctorum in Martyrologio Romano non descriptorum, ius liturgicum statuat et quibus de causis?*

4. *Quid de tota facti serie iudicandum?*

## SOLUTIO

**Ex dissertatione Rev. Dom. Ioannis Antonietti Pontif. Semin. Pii alumni, habita in Ecclesia Congregationis Missionis prope Curiam Innocentianam, die 12 Ianuarii 1898; acta Epitoma per R.mum Dom. Calcedonium Mancini Academiae Moderatorem.**

I. Utrum Reliquiae insignes Beatorum, imo et Sanctorum in Martyrologio Romano non descriptorum, honorari valeant; iure liturgico inspecto, cum Officio et Missa, vel alio saltem modo, cum cultu publico?

Quaestio haec bifariam dividitur ; pars prima de cultu inquirit stricte liturgico qui Officii et Missae celebratione impletur, altera vero quamque aliam cultus speciem, ab Officio et Missa abstrahendo. Haec porro distinctio saepe in iure liturgico occurrit, ac plurimi habetur, adeo ut, ex eo quod aliquis Sanctus vel Beatus propositus fuerit publicae fidelium venerationi, non possit legitime facultas deduci Missam celebrandi et Officii recitandi in eius honorem. Constat ex apertissimis verbis, quibus Decretum generale S. Rituum Congregationis utitur (*27 Septemb. 1659* sub Alexandro VII) : « In locis, ubi Beatos ab omnibus coli permissum fuit, non inde publica Officii recitatio permissa censeatur etc. » Id autem optimo iure sancitum est, et revera in cultu publico (1), praeter actum intellectus et voluntatis, in interno obsequio a quolibet societatis christianae membro praestito, habetur exterioris existimationis et honoris signum, quod cum interno relationem intimam dicit, quinimo ad hoc institutum est, ut illud expri-

(1) Cultus est honor, signum scilicet existimationis, quod cum sui ipsius subiectione homo tribuit Deo, vel Sanctis, ob eorum supernaturalem excellentiam, et constat tribus elementis: *a)* actu intellectus, qui obiecti supernaturalem excellentiam percipit ; *b*) actu voluntatis, quae eiusmodi excellentia cognita, vult obsequium tribuere illi, qui eam possidet ; *c*) obsequio ipso, quod consequenter tribuitur, aut interno (v. gr. admiratione, congratulatione) aut etiam externo (ex. gr. salutatione, hymnis, precibus). Nunc autem hic cultus externus, vel proprio nomine ab aliquo exhibetur, vel Ecclesiae totius, exinde distinctio inter cultum privatum et publicum ; vel exhibetur per Officium et Missam in honorem Sancti, vel per alia signa, prouti esset, publice ac honorifice in Ecclesiis Reliquias exponendo, eas ad venerationem seu osculum fidelium praebendo, in Altarium sepulcris aut super ea ponendo, in processionibus circumferendo, etc., exinde cultus liturgicus et simpliciter ecclesiasticus.

mat. Hinc ipsa societas signa plus minusve exprimentia eligit, iuxta honoris gradum, quem vult exhibere ; ideoque maiora solemnioraque servat iis, quos peculiariter vult honorare. His praemissis, responsum primae parti dabimus, utrum nempe possint Missa et Officio venerari insignes Beatorum Reliquiae, vel Sanctorum in Martyrologio Romano non descriptorum: negative prorsus pro utroque casu; id plus minusve explicite statuunt Apostolicae Sedis Decreta. Et primo Decretum S. R. Congreg. diei 11 Aug. 1691, quo conceditur Missae celebratio et Officii recitatio in honorem Sancti, cuius insignis Reliquia possidetur, ea in Ecclesia ubi asservatur, die Sancti illius festo, pro obiecto habet Sanctos *canonizatos* ac in *Martyrologio Romano descriptos:* « De ceteris autem Sanctis in Martyrologio Romano non descriptis aut quibus a S. Sede non fuerit specialiter concessum Officia recitari et Missas celebrari vetuerunt, non obstante quod ipsorum corpora vel insignes Reliquiae in Ecclesia asserventur. » Ratio autem huius dispositionis, in hoc sita est, quod Sancti in Martyrologio Romano non descripti in Ecclesia universa uti tales non habentur, ac proinde aequiparandi non sunt in publico cultu, aliis recognitis. Idem dicatur de Beatis. Et sane Ecclesia plane distinguit cultum Sanctis debitum, ab eo qui Beatis debetur ; quia de his nondum ultimam protulit sententiam. Id explicite declaratur in Decreto d. d. 12 Iunii 1660, quo sancitur, quod Summus Pontifex « cultum publicum ubique Sanctis canonizatis praestandum Beatis fieri communem vetat, *alias nulla daretur distinctio* inter *Sanctos et Beatos*, et frustra (quod absit opinari) Ecclesia ad solemnia Canonizationis procedere quodammodo videretur, si causa huiuscemodi effectus novos minime produceret ».

Sequitur exinde aliqualis limitatio ex parte Ecclesiae, circa cultum Beatorum, et cauta procedendi ratio in indultis concedendis, unde canon derivat tutissimus strictio-

ris legum, quae ad illos referuntur, interpretationis. Hic vero in sequenti S. Rituum Cong.nis Sanctione continetur (*16 Decemb. 1652*) : « Haud licitum est excedere limites verbales indultorum super beatificationibus, praesertim in celebratione Missarum et Officii, nisi hoc expresse Sedes Apostolica indulserit. » Hinc, in superius citato Decreto (*27 Sept. 1659*), expresse edicitur, « quod ubi concessa fuerit per Sedem Apostolicam Altarium erectio, non tamen ob id Missam et Officium de praedictis Sanctis celebrandi vel recitandi facultas tradita praesumatur: etenim specifica et expressa concessio super his praecedere debet. Concludimus ergo, absque speciali indulto, non posse liturgice honore prosequi Reliquias etiam insignes Beatorum et Sanctorum in Martyrologio Romano non descriptorum, cum Missa et Officio.

Idem dicendum ne venit de ceteris publici cultus signis ?

Si sermo sit de Sanctis in Martyrologio Rom. non descriptis, idem superius citatum Decretum (*11 Aug. 1691*) approbat et suadet publicum cultum erga Reliquias legitime recognitas, exclusis tamen Missa et Officio: « Quibus tamen ab Ordinariis locorum approbatis, debita a fidelibus veneratio exhibenda est, sed absque Officio et Missa, sub poenis de non satisfaciendo praecepto recitandi Officium etc. »

Res tamen secus se habet, si loquamur de Reliquiis Beatorum, ut enim valeant publice exponi eorum Reliquiae, habeatur necesse est speciale indultum, praeter casum cultus immemorabilis, anterius saeculo aevo Urbaniano ; quo in casu, quamvis cultus non fuerit a S. Sede concessus, tamen interdictus non fuit. Exceptio habetur quoque, si Apostolica Sedes Missam et Officium eorumdem Beatorum indulserit, tunc enim eorum Reliquiae legitime exponuntur (Cf. Declar. *17 April. 1660*, *Gardellini 2046,4*)

Ita pariter Decreto dici 27 Septembris 1659 statuitur: « Dies festi in Beatorum... memoriam non celebrentur, nisi speciali Indulto Apostolico provisum fuerit ». Et quamvis in Decr. 17 Sept. 1660 declaratum fuerit, quod «dies festi in Beatorem honorem non celebrandi non extenduntur ad festa devotionis (Caval. T. II, Dec. 396)» tamen pro certo haberi nequit, an id intelligi debeat de cultu publico; unde a nostra conclusione non est recedendum.

II. Quaeritur nunc, num de Reliquiis insignibus Beatorum, si Patroni fuerint, Officium et Missa celebrari possint, quidque de additione Symboli sit censendum.

In Decreto, quod Urbano VIII iubente, die 23 Martii 1630 datum fuit, circa electionem Patronorum statuitur: « quod eligi possint in Patronos ii solum, qui ab Ecclesia universali titulo Sanctorum coluntur, non autem beatificati dumtaxat (1). » Ratio ab E.mo Lambertinio adducitur et eadem est, quam supra retulimus. Observandum est tamen, quod Decretum intelligi tantum debet de electionibus *in posterum* faciendis, proindeque non comprehendit Beatos, qui in Patronos electi fuerunt ante annum 1630, quibus iure debetur Missa et Officium (Plura videsis exempla apud Cavalerium. *T. I, Decr. 30, n. 6*).

At, non obstante relato Decreto, S. Rituum Cong.tio concessit interdum, ex *privilegio specialissimo*, ut aliquis Beatus eligeretur in Patronum, cum omnibus praerogativis iisdem debitis ; ita v. gr. S. Rosam Limanam Clemens IX concessit in Patronam praecipuam Limae in Peruvia. Hoc quoque in casu, vi Indulti apostolici, Beato debetur Officium et Missa. Id dictum intelligatur pro uno die festo natalitio, non pro alio, quod institui praesumeretur

(1) Quod dicitur de Patronis, aeque intelligendum est de Titularibus (S. R. C. 23 Ian. 1740).

ratione Reliquiae insignis, quod semper prohibetur etsi agatur de Patronis.

Utroque vero in casu mox relato, cum Missa permittatur, tam ratione Patronatus, quam ratione Reliquiae insignis symbolum recitandum erit. Hoc (saltem implicite) statutum reperitur in Rubricis generalibus Missalis Tit. XI. Ibi legimus : « Symbolum dicitur . . . in festis Sanctorum quibus dedicata est Ecclesia, et ubi habetur corpus vel insignis Reliquia Sancti, de quo agitur . . . Item in festo Patroni alicuius loci, vel Tituli Ecclesiae. » Diximus « saltem implicite », quia hic agitur de Sanctis, non vero de Beatis ; at ratio, ob quam recitatur Symbolum respicit solemnitatem et concursum populi ; valet itaque et cum agitur de Beato. Unde communiter ab Auctoribus admittitur, v. g. Halden (*p. 3, t. 2*), Merato (*p. I, tit. II, n. 10*), Cavalerio (*T. 5, c. 12, n. 63*) et De Herdt (*T. 1, n. 90*), Decreto 12 Iulii 1664 non obstante, quod valet pro Beatis simpliciter, non autem pro Patronis etc., nec pro iis, quorum Missa concessa est ratione Reliquiae.

III. Deinde quaeritur : Quid de processione cum Reliquiis Beatorum aut Sanctorum in Martyrologio Romano non descriptorum, ius liturgicum statuat, et quibus de causis ?

Processio cum Reliquiis Beatorum explicite prohibetur in saepius citato Decreto 27 Sept. 1659 : « Eorumdem Reliquiae in processione minime circumferantur » (Coll. Authent. n. *1131, n. II*). Interdum, peculiares ob causas, concessa fuit et adhuc conceditur a S. Sede; sed his in casibus, clausula semper additur « cum instructione Promotoris Fidei accurate servandae ». Idem dicatur de Sanctis non canonizatis nec in Martyrologio Romano, aut in eius appendice, descriptis. Ratio est, uti iam innuimus, quod cultus Beatorum et Sanctorum ab universa Ecclesia non receptorum semper remanet intra quosdam fines circumscri-

ptus sive loci, sive ritus, etc., qui fines praetergredi non possunt, Ecclesia enim semper caute agit cum permittit ut iis exhibeantur honores, qui Sanctis universaliter recognitis reservantur (Cfr. responsum ad I. quaes.).

IV. Quid demum de tota facti serie iudicandum ?

Ex praemissis, tamquam doctrinae fundamentis, absque ulla difficultate profluit responsio. Vi Indulti, Beatus in Patronum electus festo iam gaudebat, unde Canonici aliud exigere nequibant ratione Reliquiae (cfr. quaes. 2.); recte igitur egit Episcopus, cum negavit assensum. Ratio tamen, quam adduxit, quamvis vera fuerit, non tamen ad rem faciebat, et viam ad instandum patentem reliquit. Nec aliunde magis valida extitit nova ratio quam Canonici adduxerunt, quod nempe in Patroni qualitate privilegium contineretur Missae et Officii celebrandi ratione Reliquiae (quaes. 2) ; quae tamen Episcopum in haesitatione reliquit, qui pro bono pacis non ex certo iudicio, rem iuxta Canonicorum placitum disponens, profecto erravit. Paucis se expedire poterat dicens, quod Beatus iam festo decoratus satis honorabatur etiam ratione Reliquiae.

Cetera iam in responsis ad 2$^{um}$ et 3$^{um}$ quaesitum satis discussa inveniuntur, hinc satis sit addere, quod, errore patrato, logice egere Canonici Symbolum in Missa addentes, sed illegitime processionem instituisse.

# DUBIUM

**De vi antiquarum Constitutionum Pontificum Libris liturgicis praemissarum (1).**

*Post Decreta Generalia de prohibitione et censura librorum*, et in specie post ea quae dicuntur Cap. VII, § 18, sufficit ne pro libris liturgicis edendis sola approbatio Ordinarii, et quidem in forma communi, adeo ut antiquae Constitutiones Pontificiae Missalibus, Breviariis etc. praemissae vigorem suum amiserint?

*Resp.* Negative: ut antiquae Constitutiones, de quibus in casu, adhuc in suo robore maneant. Ratio potissima est, quia obiectum recentioris Constitutionis **Officiorum** d. VIII calendas Februarias, anno 1897, aliud prorsus est ab illo, quod antiquae Constitutiones libris liturgicis praemissae spectant. Et sane: Pontifices S. Pius V, Clemens VIII, Urbanus VIII aliique, Constitutionibus, quae de more libris liturgicis praemittuntur, voluere leges rubricales in iis contentas firmare, eosdem libros approbare, formam approbationis exhibere pro editionibus aliis, ad normam illorum, successu temporum, imprimendis ac vulgandis, modum satisfaciendi proprio muneri pro iis, quorum interest, docere, poenasque aliquas statuere, ut praefata sancirent, et periculum corruptionis librorum liturgicorum arcerent. Leo vero Pp. XIII, per novissimam Constitutionem, hoc unum voluit, regulas Indicis ordinare, quas duobus capitibus complectitur, et quorum primum prohibitionem librorum, alterum censuram spectat. Hinc omnia

(1) Attenta huiusce Dubii gravitate, ab aliis illud pertractare consultius iudicavimus.

documenta Indici praemitti solita antiquat, iubetque ut sola Decreta a se statuta, praefatam Constitutionem sequentia, in posterum vim legis habeant, unica excepta Constitutione antiqua Benedicti XIV, quam adhuc vim habere decernit. Inter haec autem Decreta habetur peculiaris dispositio super libris liturgicis, quae ita sonat: « In authenticis editionibus Missalis, Breviarii, Ritualis, Caeremonialis Episcoporum, Pontificalis Romani, aliorumque librorum liturgicorum a Sancta Sede Apostolica approbatorum, nemo quidquam immutare praesumat, si secus factum fuerit, hae novae editiones prohibeantur (*Cap. VIII, § 18*). »

Hisce ergo verbis aliud non declarat Summus Pontifex, nisi prohibitas esse editiones authenticas Librorum liturgicorum, quas Sancta Sedes approbavit, si aliquid in iis quis immutare praesumat. Iam nunc animadvertas velim, editiones, quas, si aliquid mutationis habeant, prohibet Summus Pontifex, supponi authenticas et a Sancta Sede approbatas; ait enim: « in **authenticis** editionibus.... librorum liturgicorum a S. S. Apostolica **approbatorum**. » Agitur ergo in citato paragrapho de novis editionibus, quae fiunt super aliis, et quae declaratae iam fuerunt authenticae approbataeque a S. S. Apostolica. Haec autem prohibitae dicuntur si aliquid in iis mutationis quis apponere ausus fuerit. Hoc, non aliud praedicat relatus paragraphus, ita bene perpendenti apprime patebit. Nil ergo ex eo inferri potest, quod antiquas Constitutiones infirmare valeat, multoque minus praesens abolere valet antiquas, quae alia decernit, de quibus novissima ne verbum quidem.

Ceterum, si per praesens Decretum Constitutiones libris liturgicis praepositae antiquatae fuissent, talia sequerentur consectaria; quae admitti non possunt. Primo enim sequeretur, unicuique licere libros liturgicos edere, ulla

sine venia, sive S. R. Congregationis sive Ordinarii loci, dummodo, quocumque modo, constaret de conformitate cum editionibus approbatis; id enim, et nihil aliud praesenti Decreto exigitur: quod profecto satis est exorbitans, et nemo admittit. Secundo, necessarium non est amplius ut Ordinarius, ipsaque S. R. C. de quibus prorsus Decretum silet, approbationem suam in novis editionibus apponant, sive specialem sive in forma communi; quia praesens Decretum hoc non requirit. 3. Libri liturgici eiusmodi approbatione destituti tuta conscientia adhiberi possent, venumdari atque emi; cum Decretum praesens id non prohibeat. Quae nihilominus, sive ex Decretis vigentibus S. R. Congregationis, sive ex praxi constanter servata, etiam post VIII cal. Febr. 1897 ad usque praesentem diem, indubie falsa tenenda sunt. Reapse libros liturgicos approbatione, seu debita attestatione carentes, S. R. Tribunal reprobat et decernit, **Pontificias Constitutiones in suo robore permanere, abusum non esse tolerandum**; iubetque, ut **typographi romani ante impressionem horum librorum teneantur veniam a Sacra Congregatione impetrare: et Ordinarii locorum** *pro suo munere invigilent*, *ut denuo* **non cudantur** supradicti liturgici libri **sine attestatione a Pontificiis Constitutionibus praescripta** (*Dec. Gen. 26 Apr. 1834*). Hoc idem deinde praescribit iterum die 18 Febr. 1843, mandans ut *servetur Generale Decretum*, de quo supra. Tardius quoque voluntatem suam patefacit rescribens Episcopo Brixiensi, ut abusum de his libris non approbatis inductum in sua dioecesi evellendum curet, et **ad tramites Decreti** supercitati **omnino provideat** (*26 Apr. 1847*). Quinimo singulare est, idipsum praescribere S. R. Tribunal, quando rogatum fuit circa ortographicam correctionem, accuratioremque punctuationem a typicis editionibus difformia, ad normam tamen optimarum Ss. Patrum, Sacraeque Scripturae editionum. Hoc enim pariter in casu re-

spondit: « In editione librorum liturgicorum adamussim **serventur leges in Constitutionibus et Bullis summorum Pontificum praescriptae** (*Societ. Presbyteror. SS. Sacramenti, 11 Mart. 1871 ad II).* » Huiusmodi autem Decreta vigere adhuc diximus sicut vigent Constitutiones Pontificiae, quas invocant. 1. Quia per Decretum praesens novissimae Constitutionis **Officiorum** non abrogantur aut infirmantur, quippe quod illas supponit, non vero destruit. 2. Quia dicta S. R. C. Decreta inseri adhuc debent, et ad hoc servata fideliter sunt in novissima Collectione authentica, cuius primum iam editum est volumen. 3. Denique quia rem ita se habere et non aliter, tam in S. R. Secretaria, quam in alia Indicis accepimus; et sensum relati paragraphi hunc esse, quem declaravimus et non alium. Praxis confirmat veritatem quam probamus ipso enim anno 1897 et postea plures librorum liturgicorum prodiere editiones, quae ferunt et Ordinarii loci et S. R. Cong.nis approbationem in forma speciali. Ergo patet ad propositum Dubium negativae responsionis ratio multiplex; consequenter manifestum fit, antiquas Constitutiones super libris liturgicis adhuc in pleno suo robore permanere (1).

Inferes. 1. Benedictiones omnes rituales, a S. R. Congretione non approbatas, esse in praesenti, sicut antea, prohibitas. 2. Formulas exorcismorum, quae in Rituali Romano

(1) Ideoque etiam patet non satis recte nonnullos scriptores (uti **Vermeersch**, *De Prohibitione et censura librorum post Leonis PP. XIII Constit.* « Officiorum ac Munerum » — *Tornaci 1897*) docuisse : « unde si (editiones Librorum Liturgicorum) conformes (sint editionibus authentieis), etsi male forte omissa recognitio, *non* tamen *prohibentur*, dum olim ex Urbani VIII Const. « Quam primum » adhiberi non poterant, nisi praeferrent attestationem Ordinarii de perfecta cum esemplari authentico conformitate *(pag. 40).* »

non prostant, vel ab iis quae in eo sunt diversae, esse similiter prohibitas, nisi speciali approbatione fruantur. 3. Missalis et Ritualis Romani editiones, quae aliis approbatis non cohaerent, adhuc pariter esse prohibitas. 4. Idem dicendum de editionibus librorum liturgicorum, quae partes aliquas Breviarii referunt, uti Officia B. M. Virginis, etc. ut nisi speciali approbatione gaudeant, eamque inscriptam ferant, prohibiti haberi debeant. 5. Prohibitae sunt pariter additiones omnes Codicibus liturgicis factae, nisi peculiariter a S. R. Congregatione approbentur.

---

# DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Bohemia.* **De concursu inter Dedicationem omnium Ecclesiarum consecratarum et festum SS.mi Redemptoris.** Anno Domini 1899, iuxta Calendarium provinciae Pragensis, dies octava Anniversarii Dedicationis OO. Ecclesiarum consecratarum (dupl. 1. cl., ex Indulto pro omnibus e Clero cum Octava), concurrit cum Festo secundario SS. Redemptoris (23 Octobris dupl. maius). Quomodo Vesperae in die Octava (22 Octobris) ordinandae pro Clero Eccles. consecrat. adscripto, et quomodo pro Clero nulli vel non consecrat. Eccles. adscripto? Debetne in hocce speciali casu attendi sola *disparitas ritus* utriusque *festi Domini*, non vero *primaricias* diei Octavae Dedic. Eccl. Consecrat. et propriae, adeo ut *ab omnibus* faciendae sint: « Vesp. de sequenti cum commem. diei Octavae et Dominicae? »

*Resp. 1.* Clerus Ecclesiae consecratae adscriptus quid agere debeat, satis notum ponimus. Pro eo enim agitur de concursu inter octavam Dedicationis Ecclesiae propriae,

hoc est inter *festum primarium*, et festum SS.mi Redemptoris, nempe *festum secundarium*. Ergo Vesperas aget integras de octava Dedicationis *(festo primario)*, cum com. SS.mi Redemptoris *(festi secundarii)*: super hoc nulla quaestio

*Resp.* 2. Si autem agatur de Clero, vel Ecclesiae benedictae vel nulli Ecclesiae adscripto, hoc in casu, donec aliud S. R. Congregatio definiat, dictum festum considerari nequit tamquam primarium, quia de Ecclesia agitur non propria, de qua solum in casu fieri potest Anniversarium Dedicationis. Habetur ergo concursus inter duo festa Domini secundaria, Octavam nempe Dedicationis Ecclesiae non propriae et SS.mum Redemptorem. At hoc in casu dies octava festi Domini nullo gaudet privilegio prae duplici, sive maiori sive minori. Aperta enim est Rubrica recentius accommodata, quae sic sonat: « Concurrente vero *(die octava)* cum sequenti duplici maiori . . . totum officium fit de sequenti cum com. Octavae: excepta die octava Epiphaniae, Paschae, Ascensionis, **aliisque festis primariis Domini**, in quibus de seq. fit tantum commemoratio; » ergo festa Domini secundaria a lege communi non excipiuntur, proindeque dup. maius praevalet in occursu diei octavae festi Domini secundario.

Haec quidem, ut innuimus, praesentibus decretis inspectis; nihilominus, quod alias diximus, optandum foret, Decretum a S. R. Congregatione, quo declaretur festum dedicationis Omn. Ecclesiarum esse considerandum uti festum primarium pro omnibus Ecclesiis, sive consecratis, sive tantum benedictis.

*Nota.* **Exceptis Octavis festorum Domini et B. Mariae Virginis ut supra**: haec verba in fine Tit. XI, n. 7, posita sunt ad significandum in his octavis non posse dari alternativam, hoc est Vesperas esse non posse integras, *vel de die octava vel de duplici*, sicut in aliis octavis, sed sem-

per esse debere integras de die octava festi Domini, si concursus sit cum duplici maiori, de die octava festi B. Mariae, si concursus sit cum duplici minori; cum com. alterius, ut supra de his Octavis, cum duplici maiori aut minori concurrentibus dictum est.

II. *Ex oppido Zabarcos in Hispania.* **De festo SS. Nominis Iesu perpetuo transferendo.** Ex decreto S. R. C. sub die 19 Iul. 1885 dato, die 28 Ian. faciendum est officium de S. Iuliano, translato SS.mi Nominis Iesu ad *1am diem liberam iuxta Rubricas.* Tamen in quodam directorio pro divino officio persolvendo 1898 praedictum festum SS.mi Nominis amandatur ad diem 29 Ian. *tamquam sedem propriam pro hoc anno* (sic dicitur in supra memorato directorio) et fit vi decreti S. R. C. dati 6 Sept. 1845. Ast dies 29 Ian. in calendario dioecesis est sedes propria S. Valerii E. *dup.* ergo videtur quod de SS.mo Nomine Iesu fieri non potest officium 29 Ian., sed transferri debeat *iuxta Rubricas.* Existit decretum 6 Sept. 1845, vi cuius ad 29 Ian. amandatum fuit festum SS.mi Nominis, simplif. S. Valerio, et cuius tenoris est?

Ignoro quidem existentiam decreti, de quo in casu.

*Resp.* Quando officium aliquod die sua impeditur *accidentaliter*, pro eo anno pariter *accidentaliter* transfertur quando vero *perpetuo* impeditur, *perpetuo* quoque transfertur. In utroque autem casu dies in qua tanquam in sede propria reponi debet, est prima ab officio novem lectionum libera. Neque licet officia perpetuo impedita nullam sedem habere, adeo ut in unoquoque anno prima dies libera et diversa illi assignetur. Hoc quondam licere potuit, sed non amplius in praesenti disciplina. Hinc emendandum nunc, quod cl. De Herdt scribit: « Licet regula generalis sit, officio semper impedito diem fixam assignandam esse, eaque per plurima Decreta probata et confirmata sit; nulla tamen Rubrica, nulloque Decreto Ge-

ner. praescribi aut declarari, officium semper impeditum de praecepto in diem fixum transferendum esse, et in primam diem liberam singulis annis transferri non posse (*pars 4, n. 276 not. 2*) ». Haec doctrina, inquam, emendanda est impraesenti; quia Rubrica hodierna docet : « Festa tamen duplicia minora, quamquam non sint Doctoris Ecclesiae, si **quotannis** a digniori officio impediantur, reponuntur in prima die libera tamquam in propria sede **perpetuo** celebranda (*Tit. X, n. 1*) ». Ergo a fortiori id intelligendum de aliis festis potioribus; cum idem imo statuatur de semiduplicibus (*Loc. cit. n. 6*).

His perpensis, pro certo habendum est Calendarium esse in casu inordinatum. Namque Decretum citatum ab eodem Rev. Consulente, quod est *Urgellen.*, supponit diem 28 Ian. perpetuo impeditam ob festum S. Iuliani Ep. et Conf. (dup. II. cl.) et praedicat, eodem die faciendum esse de eodem S. Iuliano, festumque SS. Nominis Iesu *transferendum*, quod semel pro semper intelligas, *in primam diem liberam iuxta Rubricas*. Porro si impedimentum est perpetuum, etiam translatio perpetua esse debet, iuxta dicta superius.

Sed error ingravescit, si perpendatur dies 29 Ian. duplici minori impedita; quia prima dies libera debet esse vacua ab officio duplici vel simiduplici, quod in casu non comprobatur. Nihilominus redactor Calendarii sequenti modo, ni fallimur, suam agendi rationem cohonestare posset. Decretum in *una Ord. Min. S. Franc. de Observ. Reformatorum S. Angeli in Apulia* praedicat, festum SS. Nominis Iesu, die 28 Ian. impedita celebrandum esse die sequenti, (*6 Sept. 1845 ad 2*), quamvis festum duplex min. in ea occurrat, quod proinde antea transferendum erat, nunc ad simplicem ritum est redigendum. Huic fortasse Decreto Redactor Calendarii visus est inniti, sicque, diximus, cohonestari posse praefatus ordo. Sed admitti

haec ratio non potest; quia Decretum superius allatum *Ord. Min.* agit de translatione accidentali, in casu vero agitur de translatione perpetua. Hinc non illi Decreto standum est, sed alteri in *Urgellen.*, quod in dubio proposito citatur, et cuius dispositionem retulimus, quae facit ad rem. Porro hoc ultimum explicite docet, festum SS. Nominis perpetuo impeditum ob S. Iulianum ad primam diem liberam esse transferendum iuxta Rubricas.

Neque opponas Rubricam specialem ante festum SS. Nominis in Breviario positam: quae exigit, ut *de festo dup. minori vel semiduplici occurrente* in die quo SS. Nomen est transferendum, *fiat tantum com. in utrisque Vesperis et Laudibus*. Quia respondemus, ut supra, hic Rubricam de accidentali, non de perpetua translatione agere. Secus huiusmodi Rubrica specialis alteri generali non cohaereret, quae duplicia, uti et semiduplicia perpetuo impedita iubet transferri perpetuo in primam diem liberam, non vero ad ritum simplicem redigi. Sicut itaque dies 29 Ian. impeditur in casu ob festum duplex S. Silverii Conf., ut in dubio exponitur, palam fit, in eo SS. Nomen perpetuo impeditum non posse reponi: secus ad ritum simplicem perpetuo redigendus foret S. Silverius, quod est contra Rubricas. Consequenter quaerenda est dies prima in dicto Calendario libera ab officio novem lectionum, et in eo SS. Nomen assignandum, Calendarium autem, certo erratum, emendandum.

III. *Ex eodem loco.* **De Orationibus in Missa defunctorum quando intentio offerentis nescitur.** In Decreto S. R. Cong.nis d. d. 30 Iun. 1896 statuitur quot et quales Orationes sint dicendae in Missis defunctorum. At non raro accidit, Sacerdotem stipendia accipere pro pluribus Missis celebrandis, et celebrare *ad intentionem dantis*. Attamen haec intentio nescitur; et an pro vivis an pro defunctis sit nescitur. Quaeritur: Dum Sacerdos, ritu permittente, privatim

celebrat de requie, qualis esse debet prima Oratio, cum praeceptum sit, ut respondeat intentioni dantis, et haec nesciatur?

*Resp.* Decretum Generale « Orationum et sequentiae in Missis defunctorum » num. II exigit, *in Missis quotidianis quibuscumque sive lectis sive cum cantu plures esse dicendas Orationes, quarum prima sit pro defuncto vel defunctis* **certo designatis, pro quibus Sacrificium offertur.** Porro quando intentio illius, qui eleemosynam offert, nescitur, defunctus vel defuncti non sunt certo designati, ut pro his Sacrificium applicari nequeat. Ergo Sacerdos nesciens intentionem stipem dantis, hanc adimplere nequit Decreti dispositionem: consequenter neque id, quod eodem in numero dicitur, quod attinet Orationes. Manet igitur, quoniam multo minus in casu adimpleri potest dispositio numeri I, ut recursus habeatur ad numerum III et IV, et id fiat quod in his praescribitur, nempe: *Si vero pro defunctis in genere Missa celebretur, Orationes esse dicendas, quae pro Missis Defunctorum in Missali prostant, eodemque ordine, uti sunt inscriptae.* Id literaliter in III numero. At dices: fieri potest, ut intentio sit pro uno tantum, et tunc non adimpletur intentio dicendo primam Orationem quae in Missali prostat. Concedo; sed quid inde? Fieri etiam potest, ut sit intentio pro defunctis in genere, et tunc neque offerentis intentionem adimplebis si primam Orationem pro uno dicas. Ceterum, quomodo in casu quis se gessisset ante praefatum Gen. Decretum, ita in praesenti illo vulgato, se gerat. Cum enim offerentis intentio non sit patefacta, id significat offerenti stipem satis esse ut Sacrificium applicetur ad intentionem suam. Quod si sua interest, ut peculiares Orationes pro aliquo defuncto dicantur, intentionem manifestare potest: secus servetur III Decreti numerus. Itaque in casu Orationes di-

cendae sunt ut in Missali prostant, eodemque ordine ut sunt inscriptae.

Sed et II numeri dispositio servanda est, quae amplius in casu non permittit, ut secunda Oratio sit ad libitum, sed tantum ut post illam altera vel plures in Missis lectis addi possint: quo in casu ultima semper erit *Fidelium Deus*, et impar numerus erit pariter servandus iuxta Rubricas. Hinc patet ad proposita dubia responsum.

IV. *E Comitatu Tirolensi*. **De occursu inter festum mobile et fixum.** Occurrit eadem die festum Reliquiarum, quod est mobile, cum alio festo fixo, imo assignato: quale ex duobus praevalebit, cum ambo sint eiusdem ritus et primaria?

*Resp.* sequentia animadvertendo. 1. Rubrica de Translatione festorum recenter reformata iam notas tradit normas in casu applicandas. *a*) Ritus potior, *b*) primarii qualitas contra secundarium, *c*) maior dignitas personalis, *d*) fixum prae mobili, *e*) magis proprium prae minus proprio (*Tit. X, n. 6*). In casu autem prima et secunda norma considerari nequit, cum, uti supponitur, sint paria; sed tertia consideranda venit, cum tamen propositum dubium de alterius festi dignitate sileat. Hanc ergo tertiam normam consideret adm. Rev. Consulens, quam nescire non potest, et iudicet. Si autem etiam quod tertiam attinet dicta duo festa sint aequalia, perpendenda erit quarta norma, secundum quam de altero festo agendum esset, et Reliquiarum festum transferendum. In hac si festa quoque paria inveniantur, tunc tantum licebit magis proprium minus proprio praeferre, uti ex relata recenti Rubrica manifesto constat. Quod autem ex duobus simul occurrentibus festis alterum sit in die propria, alterum in assignata, nihil interest; quia officium perpetuo translatum ius habet ut recolatur ea die tanquam in sede propria.

His prae oculis habitis, et prope perpensis, haud difficile profluet dati dubii solutio.

V. *E Rossia*. **De cantu in lingua vernacula tempore processjonum.** Licet ne clericis vel populo in quibuscumque processionibus, etiam de Sacramento, lingua vernacula uti in canticis modulandis, liturgicis quoque omissis? Ex. gr. in processione SS. Sacramenti in solemnitate Corporis Christi, omitti ne possunt quae in Rituali praescribuntur, uti « Sacris solemniis ; Salutis humanae sator ; Te Deum ; Benedictus, etc. » ?

*Resp.* Recentius Decretum in *Parisien.* d. d. 14 Ian. 1898 ad V, negative respondet. Nam in eo quaeritur : « Licet ne aliquid canere lingua vernacula : 1. In Missa solemni, dum sacra communio distribuitur per notabile tempus? 2. In solemni processione SS.mi Sacramenti ; alternatim cum hymnis liturgicis? » Et responsio est « Negative ad utrumque (V. *Ephem. Litur. n. 3, pag. 132*). » Ergo in processione Sacramenti lingua vernacula canere non licet. Profecto Rituale Romanum explicite notat, quae in dicta processione canenda sunt, uti praedictos in expositione dubii, aliosque hymnos vel cantica (*Tit. IX, Cap. 5, n. 4*), qui in eo inscribuntur. Hos autem fini processionis, laudi nempe almi Sacramenti, vel maxime respondere latere neminem potest. Non satis autem intelligeretur, qua de causa a praescriptis modulandis recedi possit, ut alia concinantur ad Cleri libitum. Servandum ergo est in casu Rituale Romanum, nec non Decretum *Parisien.* illius dispositionem confirmans.

Verum inquiri hic potest : Clerum ne tantum afficit Decreti lex, uti Ritualis, an etiam fideles, qui Sacramentum in processione comitantur? Quantum videmus, Clerum tantum non vero populum. Namque arbitramur, Decretum inhaerere voluisse Rituali Romano : hoc autem Clerum praecipue respicit, non vero fideles, nisi cum aliqua

latitudine. Revera codex ait: « [illegible] *de clero intellige, quia populus de* [illegible] nudo capite, accensos cereos gestantes (*fideles non gestant de more cereos*) et sequentes hymnos . . . devote concinentes (*Loc. cit.*) ». Ecquis ceterum posset fideles obbligare ad praefatos concinendos hymnos, quos, vix aliquibus exceptis, prorsus nesciunt? Iam nunc putasne teneri fideles tanquam mutos se gerere in dicta processione? Admittere id quis posset? Poterunt ergo aliquas recitare preces, aliqua etiam cantica, si probe sciant, lingua vernacula recitare vel cantare sub directione tamen Cleri et cum dependentia ab illo, seu quod attinet cantiones modulandas, seu quod modum tempusque spectat. Haec quoque praxis devoti populi, quam in nostra peninsula pluries conspeximus, ut Clerus praescriptos hymnos concinat, popolus devote respondeat aliqua intermiscendo vernacula lingua, puta recitans: « Sia lodato e ringraziato ogni momento il SS.mo e divinissimo Sacramento », vel: « Vi adoro ogni momento, o vivo pan del ciel gran Sacramento », vel quid aliud simile. Cum itaque legi haec praxis non adversetur, devotionem aliunde populi foveat, et laudabili consuetudine sit firmata, iure credimus, fideles posse aliquid recitare in processione Sacramenti vel cantare, dummodo a Clero in omnibus dependeant.

Quid autem dicendum de aliis liturgicis processionibus, idem ne licebit? Indubie reponimus, et a fortiori, ob eadem superallata momenta, quae pro casu magisma-gisque militant, uti patet. Vix nihilominus innuendum, preces et cantica, quae in ore fidelium esse possunt in omnibus, recognoscenda, examinanda et probanda esse a locorum Ordinariis, uti de more est. Aliter permitti non debent, quia etiam in nova Constitutione de prohibitione et censura librorum inclusi apparent: « Libros aut libellos precum, devotionis vel doctrinae, institutionisque re-

ligiosae, moralis, asceticae, mysticae, aliosque huiusmodi, quamvis ad fovendam populi christiani pietatem conducere videantur, nemo praeter legitimae auctoritatis licentiam publicet: secus prohibiti habeantur (**Officiorum ac Munerum,** *VIII calend. Febr. 1897*). » Id quidem, nisi iam a S. R. Cong.ne approbationem habuerint.

VI. *Ex Urbe.* **De praecedentia quarumdam Commemorationum.** Si fer. 6. post Octavam Ascensionis occurrat festum duplex, item die Sabbati, seu in Vigilia Pentecostes, pariter festum duplex, quod propter Vigiliam simplificatur, quaeritur, an in II Vesperis festi duplicis fer. 6. occurrentis commemoratio facienda sit prius de duplici simplificato die Sab. occurrente, an vero de feria, quae hic consideratur ut extensio Octavae Ascens. iuxta Rubricam: *Duabus sequentibus diebus Officium fit sicut infra Octavam Ascensionis?*

*Resp.* Negative ad primum: affirmative ad alterum. Est certa et nulli discussioni obnoxia responsio. Etenim lex Rubricae recentius reformatae nequit esse clarior. Illam audias: « Quando contingit fieri plures commemorationes, illae semper praeponantur, quae ad officium pertinent, **cuiuscumque sit ritus**, exceptis illis, quae ab officio de quo agitur nunquam separantur etc. (*Tit. IX De Commemorationibus, n. II*). » Atqui in casu commemoratio Vigiliae Pentecostes, quae agenda est in II Vesperis festi duplicis, feria VI occurrentis, pertinet ad officium diei, dum e contra duplex in Sabbato occurrens ad simplicis iustar redigendum, ad officium diei non pertinet; ergo prius facienda est in II Vesperis feriae VI com. Vigiliae Pentecostes, et postea com. duplicis simplificati.

Non est hinc quaestio facienda de officio feriae VI, aut Sabbati, quod est quaedam extensio octavae Ascensionis: haec ratio non iuvat, sed superius allata ex lege Rubricae, quae omnimodam vim possidet. Officium prae-

dictae feriae est semiduplex et concurrit; ergo illius com. primas habere debet prae duplici, quod uti simplex factum concurrendi vim non habet. Haec ratio unica eius praecedentiae: adeo ut si, ex absurdo liturgico, eadem die Sabbati fieri posset de simplici quod in primis Vesperis feriae VI concurreret cum praecedenti duplici, de quo actum est officium, adhuc de ipso simplici prima com. fieri deberet contra duplex, si supponi posset simplificatum. Ratio semper est eadem, quia ritus non est respiciendus, cum lex dicat: « cuiscumque sit ritus», sed concursus, quem haberet simplex, et non haberet duplex simplificatum. Hinc patet indubia ratio responsionis: Negative ad primum, affirmative ad alterum.

VII. *E Regione Belgica*. **De anniversariis late sumptis**. Quaeritur 1. quid intelligi debeat pro Anniversariis late sumptis?

*Resp.* Aliquid de more dicitur *late* sumptum, quod *stricte* loquendo non est tale; sed uti tale sub aliquo respectu consideratur, quia rei, quae vere talis est, aliquo modo est particeps. Ita ex. gr. Missa de Beata Virgine, quae infra octavam alicuius festi ad eam pertinentis dicitur, votiva *lato sensu* dici potest, quando ad officium diei pertinere non supponitur, cum tamen festivae sit quodammodo particeps, quatenus hymnum angelicum habere debet. Sed et votiva est, quia in Orationibus et symbolo quo caret, illam imitatur, atque etiam est extra ordinem officii. Ita loquendum de anniversariis: quae ut vere talia sint, debent recurrere eadem die anni, qua obitus accidit, vel saltem alia, non mutanda, die a testatoribus statuta. Cum autem pluries eveniat, ut Missa defunctorum cantetur in die, quae neque obitus est, neque a testatoribus in perpetuum statuta, et nihilominus aliquo ea fruatur privilegio anniversarii stricte sumpti proprio, haec quoque Missa anniversaria nuncupatur, sed talis *stricto sensu* non

est; talis ergo dicitur *lato sensu*, seu anniversarium late sumptum. Huiusmodi autem anniversaria certe ita nuncupantur communiter; at cum vere talia non sint, late sumpta a S. R. Cong.ne nuncupata fuere (*V. Decr. Gen.* « Orationum et sequentiae in Missis defunctorum » *d. d. 30 Ian. 1896, I*).

Quod si quaeras, quaenam sint eiusmodi anniversaria, reponimus esse illa, quae a religiosis Communitatibus, a Canonicorum Collegiis, a Confraternitatibus, aut ab aliis quibuscumque piis sodalitatibus, pro Confratribus defunctis semel in anno fieri solent, nec non illa, quae pro fidelium pietate infra octavam Omnium Fidelium defunctorum locum habent. Haec autem permittuntur ex novo iure in omnibus duplicibus minoribus, diebus tamen exceptis, in quibus neque anniversaria stricte sumpta permissa sunt.

Quaeritur 2. Quando agitur de anniversariis non fundatis, utrum nec ne celebrari debeant, ut privilegiata sint, in die vere anniversaria *ab obitu*, non autem a depositione seu sepultura (*Decr. 15 Iul. 1881, et 23 Febr. 1884*)?

*Resp.* Citata Decreta praetermittimus; quia existant vel non, nihil interest, cum novo recentiori iuri standum sit. Hoc autem declarat: « diem anniversarium pro defunctis, nec non dies 3, 7, et 30, tam a die obitus quam a die depositionis computari posse (*Decr. Gen. 2 Dec. 1891*) ». Huiusmodi autem anniversaria sive sint a testatoribus fundata pro die obitus aut alia determinata die, sive privata sint ad petitionem viventium, dummodo pro die obitus, idem plane est, et omnibus iisdemque privilegiis fruuntur (*Decr. supr. cit.*).

# BREVIORA RESPONSA

I. *Pro Dioecesi Briocensi.* Consecratio Altaris a Regulari Abbate etsi benedicto et mitrato peracta, nisi privilegium apostolicum accedat, invalida est. Potestas enim ordinaria Abbatis ad hoc non extenditur; ideoque vitium in casu attingit substantiam. Quod autem ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere. Ita Ius *(Reg. 29)*.

II. *Pro eod. loco.* Si, antequam funus alicuius defuncti celebretur, Missa pro eo, permittente die, legatur, una tantum oratio, haecque dici obitus, dicenda est. (Cf. *Decretum Gen.* « *Orationum et Sequentiae in Missis Defunct.*) ». Ad Missam vero pro die obitus seu depositionis cantandam necesse non est petitio coniunctorum defuncti, sed sufficit petitio cuiuscumque personae. Episcopo mortuo, Missa pro eo celebrari potest, post acceptum nuntium obitus, in diversis dioeceseos Ecclesiis, pro una vice, die prima quae libera occurrit a festo duplici 1 vel 2 classis, neque immorandum est pro commoditate amicorum etc. Missa vero haec ut in die obitus seu depositionis dicenda est.

III. *Pro Regione Belgica.* Quando festum *Praesentationis B. M. V.* transfertur post Dominicam I Adventus, dicenda est Missa « Rorate coeli etc. » Etenim Missa quae die 21 Novembris dicitur, de Communi, excepta Oratione, sumitur. Ergo, quomodo si hoc festum propria die celebraretur Missa quae in Communi a Pentecoste usque ad Adventum ponitur, dicenda esset, ita si in Adventum accidentaliter transferendum sit, Missa quae pro tempore hoc ponitur dicenda est.

IV. *Pro eod. loco.* Pontificale Romanum haec habet: Cum Pontifex dixerit orationem *Domine Iesu Christe*, osculatur altare et dat primo ex singulis ordinatis cuiuslibet ordinis sacri ad eum successive accedenti, et altare prius ad dexteram Pontificis *deosculanti*, pacem, dicens etc.

V. *Item pro eod loco.* In editionibus omnibus Ritualis Romani in formula pro Benedictione Apostolica in articulo mortis impertienda ponitur tantum *Confiteor* et *Misereatur*, absque *Indulgentiam*. Solus S. Alphonsus de Ligorio (*Praxis Conf. n. 289*) versiculum istum ponit. « Practice, ait cl. de Herdt, dicendum est utrumque fieri posse, scilicet vel *Indulgentiam* omitti quia in forma non ponitur; vel addi quia alias semper dicitur (*Praxis liturg. Ritualis Romani* Cap. IX, § 11, VI). ». Ceterum cum dicitur « *Misereatur etc.* » intelligi potest: *Misereatur* et *Indulgentiam*, nisi dicere velis studio versiculum illum omissum fuisse, cum fere eadem verba in oratione quae statim post *Misereatur* sequitur, inveniantur; haec tamen ratio valeret et pro formulis *Absolutionis Gen.* pro Regularibus et *Benedictionis* pro Tertiariis Saec., sed nihili facta est a recenti Brevi Apostolico 7 Iul. 1882.

VI. *Pro eod. loco.* In prima et secunda Missa festi Nativitatis Domini, digitis purificatis in vase ad id parato, Sacerdos patenam cum hostia calici imponit et superpositis palla veloque, relinquit purificatorium super altare ab Epistolae parte. Ita *Zualdi, Caerem. Missae Privatae*, Pars II, Tit. X, *in nota* et *S. Ligorius Caerem.* p. 1, cap. 10 n. 15. Sed standum potius est iis quae docet Rituale Romanum (*Appendix*) ubi in Instructione a S. R. C. die 12 Sept. 1857 edita, cui titulus: *De Missa bis eadem die celebranda* legitur: « Hisce peractis Calicem super Corporale manentem adhuc, deducta palla cooperiat ceu mos est, scilicet primum *purificatorio linteo*, deinde patena ac palla et demum velo. »

*Nota 1.* Quando S. Communio datur infirmo etiam devotionis causa dicendum est *Misereatur tui* etc.

*Nota 2.* Celebrans in Missa solemni, cum Diaconus cantat *Sequentia S. Evangelii etc.* cruce se signans in fronte, ore et pectore, non se vertit ad crucem altaris.

VII. *Item pro eod. loco.* In casibus dubiis Calendario standum est, uti per S. R. C. (*23 Maii 1835*) definitum fuit. Sed si error certus manifestuque sit, tunc a Calendario recedendum est. Res evidens est. Ita si, ex. gr. Patrocinium S. Ioseph inveniretur repositum non in prima die libera, quae esse posset die secunda infra octavam Corporis Christi, sed in prima dies libera post ipsam octavam, error certus manifestusque foret, ideoque Calendarium esset corrigendum.

VIII. *Pro Hollandia.* Altaria, de quibus in casu, nova indigent consecratione. Plura extant S. R. C. decreta rem plenissime declarantia. Sequens tantum referimus utpote magis congruum. « *Newporten.* Dum innotuit R.mo Episcopo Newporten. quod in quodam altari fixo suae dioecesis lapis pro sigillo sepulcri Reliquiarum inserviens ob defectum calcis, qua conglutinabatur, amplius sepulcro non haerebat, ipse, ut melius exploraret, lapidem ipsum manu sua amovit et cum reipsa solutus esset *de situ sublevavit;* Reliquias tamen nullo modo tetigit vel dimovit et deinde lapidem reposuit. Quibus expositis a S. Sede declarari humillime postulavit : I. An altare, de quo supra, consecrationem amiserit ?... Porro S. R. C. rescribendum censuit: Altare de quo in precibus nova consecratione indigere. *Die 14 Martii 1861.* »

IX. *Pro Melita.* Iuxta Rubricas in omnibus Missis cantatis, quicunque sit ritus diei, pax danda est. Excipiuntur tantum Missae pro Defunctis.

X. *Pro Curenna.* Quando aliquod festum redigitur perpetuo ad ritum simplicem, cuiuscumque sit ritus, idque

ex facultate S. R. Congregationis, eiusmodi festum vere simplex evadit, et commemorari debet, si possit, in I Vesperis et in Laudibus tantum officii diei, non vero in II Vesperis; quia trina comm. praescribitur tantum pro duplicibus et semiduplicibus, quae per accidens instar simplicium rediguntur vi Rubricarum. Quod attinet trinam comm. seu pro omnibus Apostolis, seu pro omnibus Martyribus, quae alicubi celebratur, credimus id fieri vi peculiaris dispositionis, quae ad casum applicari non debet.

XI. *Pro eodem loco.* Decretum in *Namurcen.* 23 Maii 1835 ad 4 non amplius existit in novissima Collectione, hinc etc. Dies autem 28 Ianuarii eligi potest ut sedes fixa pro S. Paulo ibi reponendo, dummodo si festum SS.mi Nominis Iesu per accidens sit transferendum in eamdem diem, S. Paulus fiat simplex iuxta peculiarem Rubricam. Hoc ex novo iure, et antiqua Decreta tamquam abrogata iudicentur.

XII. *Pro Olisipone.* In Missa conventuali, ex indulto absque cantu celebrata, caeremoniarum magistrum vel alium presbyterum adhibere licet, qui Missam perquirat, Missale super altare locet atque aperiat, Calicem ante Missam praeparet et in medio altaris ponat, eumque post ablutiones extergat ac suis ornamentis instructum ad credentiam deferat, canonico celebranti ad Missale assistat foliis vertendis orationibusque indicandis. Si enim licet in Missa cum cantu sine ministris (ex decr. 25 Sept. 1875), licebit quoque in Conventuali lecta, quae iuribus fere gaudet Missae solemnis.

Quamvis ex Rubrica etiam in Missa solemni adibenda sit ampulla et pelvicula, tamen Canonico celebrante, non videtur redarguenda consuetudo, qua acolythi in eadem Missa conventuali inservientes aquam ad lotionem manuum urceo et pelvi argenteis ministrent.

Nullimode vero permittendum quod iidem ex sacristia ad altare praecedant cum candelabris accensis, cum id proprium sit Missarum solemnium cum ministris.

# QUAESTIO LITURGICA

Petrus Sacerdos, post Missam de requie a Ludovico solemniter celebratam, peragit absolutionem ad tumulum. 1. Quid de Petro dicendum ? 2. Quid si Petrus esset Canonicus Cathedralis in propria Ecclesia, et Ludovicus esset Cappellanus ? Quid dicendum de Petro, si benediceret Candelas, Cineres, Palmas et Fontem ; et postea nollet Sacrum facere, sed Ludovicus statim Missam caneret ?

## SOLUTIO.

Praemittimus, relatum casum ex iure positivo nulli esse difficultati obnoxium, et maxima cum facilitate posse resolvi, et quidem omni cum certitudine. Hoc tamen verum est, si proposita quaestio generice spectetur ; at si specifice perpendatur, videlicet quod Canonicos attinet Cathedralis Ecclesiae M., quibusdam subiacere videtur peculiaribus difficultatibus, idque ob singularia privilegia, quibus praefati Canonici decorati dicuntur. En ratio, ex qua facillimae solutionis casus evadere difficilis posset. Itaque, rem primo in genere considerabimus, dein in specie : illud perpendemus in primo dubio, istud in alteris.

1. Petrus contra legem operatus est. Ius enim liturgicum id explicite praescribit. Dubium XIII Decreti in *Briocen.* quaerebat : « Utrum post Missam in die obitus alius Sacerdos a Celebrante diversus accedere possit ad Absolutionem peragendam ? » Responsum vero fuit : « Negative (*12 Aug. 1854*) ». Decretum aliud extitit pariter in *Briocen.* (21 Iul. 1855 ad 3) quod *congruum* dicebat tantum ut ab eodem Sacerdote qui Missam celebravit, non

ab alio diverso, Absolutio fiat ; sed quaestionum vitandarum causa e nova Collectione authentica Decretorum est expunctum. Idem de alio factum est, eodem verbo utens (*Baionen. ad VII, 25 Sept. 1875*) : consequenter exploratum est, praeceptum esse de Absolutione ab eodem agenda Sacerdote, qui Missam fecit. Hanc praeterea veritatem praedicant universi auctores liturgicarum rerum periti, a quorum testimoniis referendis vel citandis, utpote a re inutili, quam nullus in dubium ponit, libenter abstinemus. Ratio suffragatur ; quia videlicet Absolutio, Missam sequens, veluti huius Appendix consideratur, cum qua totum quid constituit.

2. Etsi Petrus sit Canonicus Ecclesiae Cathedralis Absolutionemque ageret in propria Ecclesia, et Ludovicus esset Cappellanus, certum quoque est illum contra legem operatum fuisse. Etenim nullum favet privilegium dictis Canonicis, quod nusquam legitur : ut consequenter et ipsi legi communi subiaceant. Lex revera generalis est, uti vidimus, et nullam ponit distinctionem ; ergo nec distinguere licet inter Canonicos et non Canonicos. Ceterum Absolutio ad tumulum non fit a Canonico quatenus Canonicus est, sed quatenus Parochus, vel simplex Sacerdos : pro quo stat lex Ritualis, unum tantum supponens eumdemque Celebrantem, Missam et Absolutionem agentem. Cuius legis et litterae et spiritui S. R. C. inhaerens, superius edidit Decretum, quo eamdem exposuit legem. Nihil autem refert, si Canonicus inveniatur in Ecclesia propria, idem enim comprobatur in Parocho eamdem functionem agente, quippe qui, vel est de facto vel fictione iuris esse supponitur semper in propria Ecclesia cum id genus functiones peragit. Quemadmodum autem Parocho Ecclesia propria favere non potest ut Absolutionem agat quin Missam faciat, ita et Canonico favere non potest ut Absolutionem solam sine Missa peragat. Ceterum primum Decre-

tum relatum, non solum declarat, eumdem Sacerdotem facere debere Absolutionem qui Missam decantavit, sed addit quoque : *hoc iure* (faciendae Absolutionis, cum Missa ab alio dicitur) *gaudere tantum Episcopos*. Ergo Canonici Absolutionem facere ad tumulum nequeunt post Missam ab alio celebratam.

Hic autem opportune notandum, pro Episcopo, de quo Decretum, intelligendum esse, non quemcumque Sacerdotem charactere episcopali insignitum, sed tantummodo dioecesanum Episcopum. Ita ex recentiori iure, nondum licet vulgato, quod in nova decretorum Collectione inserendum iussere E.mi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi : sed de hoc iterum. Ex quo veritas, quam praedicamus, ulterius confirmatur. Ratio autem eiusmodi dispositionis est, quia, uti diximus, ex Rubricali lege unus idemque debet esse minister, qui et Missam canit et facit Absolutionem. Hoc autem comprobatur in Episcopo dioecesano etsi Missam canat et Absolutionem alii committat. Est enim ipse superior iurisdictione altero, cui id muneris committit, quippe qui illius subditus est : ut proinde applicari regula possit, qui per alium facit, ipse facit. Porro id comprobari sicut non potest de Episcopo Titulari, ita a fortiori comprobari nequit de Canonico, quamvis Cathedralis Ecclesiae. Neque obiici potest, Absolutionem in casu fieri per Cappellanum Canonico inferiorem dignitate ; quia non fit quaestio de dignitate, sed de iurisdictione, qua Canonicus super Cappellano prorsus destituitur, sicuti eadem caret quicumque alius Episcopus, cui nulla dioecesis tradita est gubernanda. Ergo etsi Absolutio facienda esset per Cappellanum, non Canonicus, sed ipsemet Cappellanus deberet Missam facere : aut, si Canonicus Absolutionem facere velit, ipse pariter Missam canat.

3. Petro Canonico, quacumque in Ecclesia omnino interdicitur benedicere Candelas, Cineres, Palmas et Fontem,

nisi relativam Missam, quacum praefatae functiones sunt connexae, et ipse faciat. Primo : abunde constat ex relativis Rubricis Missalis, quae, supponimus, maxime Canonicos obligant, cum de functionibus agatur, quae specialiter in Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis locum praecipuum habent. Percurras, exoramus, has Rubricas, et perspectum habebis per Sacerdotem eas functiones esse faciendas, qui Missam est cantaturus. Sane, licet aliquando in benedictione Candelarum nominetur *Sacerdos*, nihilominus continuo etiam explicite nominatur *Celebrans* : quod significat Sacerdotem nonnisi Celebrantem esse debere, hoc est, qui Missam dicturus est, et non alius. Secus frustra Rubrica Celebrantem nominaret ; quia Candelas benedicere non est celebrare Missam. Id autem satis superque ostendit, non solum, per eumdem Sacerdotem qui Candelas benedicit, Missam esse faciendam, sed etiam eiusdem dispositionis causam, nempe vel maximam inter benedictionem et Missam connexionem. Hoc autem valet, non tantum pro benedictione Candelarum, sed et pro aliis, de quibus est quaestio, uti relativas Rubricas legenti palam fiet. Exceptio circa Celebrantis nominationem habetur quidem in Missali cum agitur de benedictione Fontis, sed nihil obstat; quia haec benedictio etiam extra Sabbatum ante Pascha et Pentecostes, proindeque extra Missam, fieri potest. Hinc sapienter Rubrica, non Celebrantem, sed Sacerdotem semper nominat de hac benedictione agens. Nemo tamen dubitat, et benedictionem Fontis et subsequens Missam unum simul officium constituere. Eapropter secure cl. De Herdt docet: « In Sabbatis Paschae et Pentecostes Diaconus et Subdiaconus assistunt (*benedictioni Fontis*) ; quia tunc Fontis benedictio et reliqua unum cum Missa officium efficiunt (*Prax. Liturg. pars 6, n. 167, 2*) ».

Cum ergo Canonici, uti universi Celebrantes, ad Rubricas Missalis servandas sub gravi teneantur, aut Petrus

in casu benedictiones praefatas teneatur omittere : aut, si eas velit peragere, Missam citra ullam controversiam cantare teneatur.

Inquiri autem hic, saltem ex analogia, posset, utrum quod de Absolutione ad tumulum ab eodem Sacerdote agenda qui Missam cecinit, extendi etiam debeat ad alios actus, qui in funeribus de more peraguntur, ex. gr. associare funus, cadaver e domo levare, ad Ecclesiam comitari, cantare *Subvenite:* hi actus ad eumdem ne pariter Sacerdotem spectant, qui cantaturus est Missam, vel indifferenter ab alio fieri possunt ? Et reponendum negative ad primum, ad alterum vero affirmative. Ratio prima est, quia Rubricae super hos actus liturgicos praecedentes Missam, satis aliter se exprimunt a Rubricis Absolutionem post Missam respicientibus, uti facile eas legentibus patebit. Dum enim istae de eodem Sacerdote explicite agunt, illae nil innuunt. Altera est, quia praedicti actus, etiam in se inspecti, nullam prorsus cum Missa dicunt relationem, et ab eadem sunt omnino distincti ac separati. Tertium denique momentum ipsa lex constituit, videlicet Decretum *Briocen.* superius secundo loco citatum. Etenim Dubium secundum huiusce decreti inquirit : «Utrum Sacerdos alius a Parocho, qui in Ecclesiam cadaver introduxit, Vicarius v. g. celebrare pro officio mortuorum queat.....? » Tertium autem Dubium postulat : « An tertio Sacerdoti, a supradictis Sacerdotibus diverso, celebrare liceat Missam....?» Cui ultimo Dubio responsio data est affirmativa : « Ad 3. Affirmative ». Ergo, dummodo qui Absolutionem facturus est, Missam canat, alius Sacerdos poterit agere ea quae superius diximus ; imo ipsi officio defunctorum alius praesidere potest, qui neque cadaver associavit, neque Missam est concenturus. Id ergo permissum ex lege est ; sed Petrus Canonicus, esto suae Cathedralis, vetatur, post Missam a Cappellano vel etiam ab alio cantatam, ad tumulum ac-

cedere, sive solus sive a Diacono et Subdiacono Missae consociatus, ut Absolutionem peragat.

Praeterea Decreta plura idem confirmant, satisque gravia, ut sine laesione conscientiae infringi non possint. Est primum in *Tudertina*, in quo S. R. Tribunali exponitur, *Archidiaconum Cathedralis.... benedixisse Cineres, absque eo quod prosequutus fuerit Missam*. Iam audi responsum: «S.C. inhaerendo alias Decretis, censuit et declaravit, E.mum et R.mum D. Cardinalem Episcopum posse cogere etiam per censuras, ut qui benedicit Cineres, Palmas et Candelas, prosequatur etiam Missam (*22 Mart. 1653*)». Alterum in *Lauden.* super iure dictarum benedictionum, cuinam scilicet competeret inter Praepositum et Canonicum Celebrantem, respondit: « Spectare ad Praepositum, **quatenus celebret**, sin minus ad Celebrantem (*17 Mart. 1663*). » Tertium autem in *Pinerolien.* respicit omnes singulasque benedictiones, de quibus agimus, nempe: Fontis in Sabbato Sancto et Vigilia Pentecostes, Candelarum, Cinerum et Palmarum; agitque de consuetudine immemorabili et universali inter Parochos dioecesis illius, de qua petit an *sit legitima*, vel *saltem tolerari possit*. Iam audi responsum: « Iuxta alias Decreta non licere; et Benedictiones, de quibus in precibus, peragendas esse per Celebrantem (*1 Sept. 1838*). » Quod ultimum Decretum invocatur iterum in *Mazarien.* eamdem confirmans legem, d. d. 31 Mart. 1879 ad V, cum eoque alterum citatur in *Liburnen.* de quo mox opportunius dicemus.

At fortasse opponi in facti specie posset dignitas singularis, qua aliqua persona insignitur, ex. gr. P. infulati, et privilegium, quo decoratur, Benedictiones pontificaliter peragendi. Sed vero omni cum securitate, quam nobis veritas praestat, reponimus, id nihil obstare: ut proinde haud obstantibus privilegio et dignitate quibus pollet Benedictiones praedictas persolvens, Missam quoque celebrare

debeat, secus eae benedictiones illi interdicuntur. Ut ad particularia deveniamus, animadvertimus, imprimis, P. de quo singulariter agimus, peculiaribus quidem privilegiis esse ornatum, concessus enim illi est: *usus Mitrae pretiosae, baculi pastoralis, etiam sine velo appenso, crucis pectoralis, annuli, sandalium et chirothecarum in Missis ac respective in Vesperis solemnibus in... Ecclesia* (S. A. Ap.), *diebus sibi bene visis (non tamen eodem tempore, quo ab Episcopo in Cathedrali peraguntur Pontificalia) celebrandis, nec non usus luminis seu candelabri, vulgo* **bugia**, *tam in dictis Missis, et Vesperis solemnibus quam in Missis privatis cum facultate dandi trinam benedictionem more episcopali, nec non privatim quoque benedicendi populo intra dictam Ecclesiam tantum et absente Episcopo, in aliis vero Ecclesiis nonnisi de licentia eiusdem Episcopi, cui praeterea intelligatur reservatum ius accedendi ad praedictam Ecclesiam S. A. quandocumque et quotiescumque voluerit, tam processionaliter cum suo clero, quam privatim et ad sui libitum pro exercendis ibidem quibuscumque functionibus ecclesiasticis; et eo in casu, quoad sedem Episcopi et illam P., nec non quoad ritus et caeremonias serventur praescripta in Decreto circa usum Pontificalium Praelatis Episcopo inferioribus, concessorum a S. R. Congregatione, edito sub Alexandro VII, die 27 Sept. 1659, n. 15.*

Haec, praeter alia quae praetermittimus, quod ad rem nostram non faciant, praefatae Ecclesiae Primicerio antiquitus concessa fuerunt, atque recentius seu anno 1888 contestata, iterum confirmata per sequens responsum... « Nihil innovandum... »

Nunc quaerimus, utrum ex relatis privilegiis inferri possit, Praefatum P. ius habere benedictiones in casu peragendi quin Missam celebret: cui petitioni, cum affirmativa responsio fundamentum invenire in Indultis nequeat, da-

re cogimur negativam. Et primo, privilegia in casu de his Benedictionibus sine celebratione Missae altum silentium servant, uti patet; ergo. Praeterea, eiusmodi privilegia dici quidem possunt ultra ius commune, sed cedunt in praeiudicium alterius seu dignitatis episcopalis: ergo stricte sunt interpretanda, nec proinde ea licet extendere. Tertio, relata privilegia sunt communia Episcopis extradioecesanis, nullam in plebem iurisdictionem ordinariam habentibus. Atqui hi Episcopi, quamvis praefatis honoribus gaudeant, benedictiones praedictas nequeunt de iure persolvere, nisi et Missam per seipsos celebrent; ergo. Decretum extat in *Liburnen.* quod superius innuimus, et sequentis est tenoris: « An Episcopo Administratori liceat perficere Benedictiones Candelarum, Cinerum, Palmarum ac Fontis baptismalis in Sabbato Sancto, quin Missam celebret? » Responsum est autem: « Negative; nam id unice competit Episcopis ordinariis... *(23 Sept. 1848 ad 8).*» Haec autem lex, ubi superius innuimus, per ius recentius, in nova Decretorum Collectione inserendum, ulterius confirmatum est. Eapropter, etsi tot privilegia dicto Primicerio concessa fuissent, quot Episcoporum non dioecesanorum sunt propria, eidem nihilominus ius non competeret Benedictiones in casu peragere, nisi et Missam celebraret. Ratio est, quia dictas Benedictiones agere sine Missa solius est Episcopi iurisdictionem habentis, qua soli Dioecesani gaudent. Iam nunc P. Ecclesiae S. A. nulla competit iurisdictio in subditos, si ab illa abstrahas, quae *activa* dicitur, et *etiam contentiosa, in suae Ecclesiae Canonicos aliosque illi addictos*, **dummodo agatur de delictis et excessibus intra limites dictae Ecclesiae commissis, vel de interesse Canonicorum, Cleri, aliorumque addictorum, intuitu et ratione dictae Ecclesiae.** Idque vigore Bullae Sixti IV, aliarumque Constitutionum Apostolicarum, uti constat ex Decreto in *Mantuana, Privilegiorum, seu Iurium,*

16 Iun. 1888. Cum autem Ludovicus, etsi Cappellanus, uti alius quicumque, nullum subiectionis requisitae in casu onus habeat, nulla enim super illo P. iurisdictione episcopali aut quasi episcopali pollet, satis superque patet, Missam a praefato Ludovico concinendam nulla ratione officere veritati thesis hucusque probatae.

Quoniam autem hic agitur de duabus functionibus, quarum altera ab altera distinguitur, ab re non erit aliquid dicere de processionibus, quae ante vel post Missam fieri solent ut statuatur pariter, an ab ipso Celebrante debeant, an ab alio Sacerdote possint fieri.

Reponimus autem, dictas processiones si ante vel post Missam fiant, utpote cum officio diei connexas, ab eodem Sacerdote esse peragendas, cui competit Missam canere. Exemplum habes in processione SS. Sacramenti, quae in Caeremoniali Episcoporum describitur in festo Corporis Christi; ubi legitur: « Absente Episcopo (*cui nihilominus processionis agendae libertas datur, quin Missam ipsemet cantet*), et in Collegiatis, **Celebrans, finita Missa**, et depositis planeta et manipulo, capiet pluviale, et Sanctissimum Sacramentum thurificabit, illudque sub baldachino portabit etc. (*Lib. II, cap. 33, n. 35*). » Extat insuper Decretum in *Ugentina*, respiciens dictas processiones cum officio connexas, et praescribens per eumdem agendas esse Sacerdotem, qui Missam vel fecit vel facturus est. En eius textus: « Dubium II. An Processiones, quae in dicta Ecclesia fieri solent, sive immediate ante sive immediate post Missam cantatam, ratione solemnitatis vel festi alicuius Sancti, fieri debeant per dictum Canonicum Curatum paratum pluviali vel potius per Hebdomadarium, qui cantavit vel cantaturus est Missam? » Responsio vero haec est: « Negative ad primam partem: affirmative ad secundam (*23 Maii 1873*). » Inferes, huiusmodi praescriptionem a praefato P. servandam esse, non minus atque ab aliis

Canonicis et Presbyteris ex superallatis momentis, cum ex Rubricis manifeste sit Sacrorumque Rituum Congregatione confirmata.

Diximus autem vel ab initio *processiones cum officio diei connexas*: ut ostenderemus distinctionem non esse faciendam inter Missam et Horas Canonicas, cum tam illa quum istae dictum officium constituant, illaque sit officii pars praecipua. Decretum relatum agit quidem de Missa, sed nihil refert; ideo enim dictas processiones ab alio Sacerdote, ad quem Missa non pertinet, faciendas lex prohibet, quia Missa est pars officii. Hinc Dubio tertio praefati Decreti quaerenti: « An, si processiones supradictae habeantur in horis vespertinis, fieri debeant per dictum Canonicum Curatum, seu potius per digniorem de Capitulo, vel per Hebdomadarium? » Haec exhibetur responsio: « Negative ad primam partem: ad secundam, si immediate post Vesperas sequitur processio, eamdem facere spectat ad Hebdomadarium; si vero Hebdomadarius recessit post Vesperas et in choro dicatur Completorium, tunc spectare poterit, vel ad eumdem Hebdomadarium, vel, praesertim si processio sit ex solemnioribus, ad primam Dignitatem iuxta statuta et consuetudinem. » Itaque ut concludamus, processio cum officio connexa spectat ad facientem officium: processio quae ab officio disiuncta est, ab alio Sacerdote fieri potest.

# IN SOLUTIONEM PRAETERITAE QUAESTIONIS ANIMADVERSIONES

Nonnullas spopondimus animadversiones facturos super quae stione quam cl. Academicus noster A. Fourneret in tertio vertentis anni Ephemeridum numero resolvit: promissa servamus. Propositum unum in iis agendis est nobis : ut nempe clariori luce emergat integra veritas.

1. Ut psalmus, antiphonam in semiduplici incoeptam sequens, non iteretur in suo initio, quod idem supponitur ac initium antiphonae, duplex comprobari debet conditio iuxta Rubricam (*Tit. XXI, n. 7*). Prima est, ut antiphona sumpta sit ex principio psalmi : altera ut incipiat sicut psalmus. Hoc ab omnibus admittitur, cum lex clarior esse nequeat. Atqui, quando antiphona idem ac psalmus sequens initium habet, sed in reliquis differt, una tantum, non duplex conditio comprobatur: ergo psalmus non est continuandus ubi antiphona desiit, sed initium illius iterandum est. Huiusmodi argumentationem unicuique approbare fas est, quippe quae a recto ne uno quidem apice deflectit. Haec videtur nobis summa totius ratiocinii cl. nostri Academici, in qua nonnisi laus promerita iure optimo eidem tribuenda.

2. Nihilominus animadvertimus, saepius in legibus, aliquid obscuri incertique contineri, ut peritis facultas tribuatur illas interpretandi. Id autem hac in lege Rubricae comprobari, satis ostendit quorumdam auctorum incertus loquendi modus, et aliquis alius, uti cl. De Herdt, diversam imo contrariam a data interpretationem Rubricae exhibendo. Praeterea, antiphonam sumere a principio psalmi *stricto* posset et *lato* sensu accipi, ut nempe sive *integre*, sive *partialiter*, sive *perfecte* sive *imperfecte* antiphona desumatur a psalmi initio hoc iterari post illam incoeptam non debeat, modo initium utriusque concordet. Tertio, iuxta vulgatam solutionem sequeretur incommodum, quod per *bis in idem* exprimi posset, ut verba antiphonae incoeptae,

iterum sine ulla discontinuatione dicenda essent in psalmo: quod in Liturgia non usuvenit. Quarto denique, nonnullorum Capitulorum praxis non est spernenda, ex qua ita intelligitur Rubrica, ut psalmi initium numquam iteretur quando idem est ac principium antiphonae praecedentis, quin ulla fiat distinctio. Nonne hinc inferri posset, non esse verba legis nude et simpliciter in casu nostro accipienda, sed iuxta aequam interpretationem? Namque « intelligentia dictorum ex causis est assumenda, quia non sermoni res, sed rei est sermo subiectus (*Cap.* Intelligentia 6 *de verbor. significat.*) »

3. Perpendamus atque inter se conferamus varias antiphonarum species. Aliquae a primo versu psalmi sequentis nihil prorsus differunt; de his nulla quaestio. 2. Aliae initium, plus minusque, idem omnino habent cum primo versu psalmi, sed in aliquo leviter discriminantur, uti: *Diligam te Domine* **virtus** *mea* (*3 psalm. 2 Noct. Dominicae*), cum pro **virtus** habeat psalmus **fortitudo**. 3. Aliae primam partem habent eamdem cum initio primi versus psalmi, alteram vero cum principio vel fine alterius versus, uti: *Cantate Domino et benedicite nomini eius* (*penult. psalm. feriae VI*): *Afferte Domino, filii Dei, adorate Dominum in aula sancta eius* (*1 psalm. Matut. Epiph.*). In quarum prima cernis duo initialia verba, quae principium dant primo versui sequentis psalmi, licet conveniant etiam cum initio secundi: reliqua ad primum versum non pertinent, sed ad alterum. In altera vero cernis quatuor prima verba esse eadem ac primi versus psalmi, reliqua pertinere ad finem secundi versus. 4. Aliae conveniunt perfecte in uno verbo cum primo versu psalmi, sed in reliquis non conveniunt, nisi quoad substantiam, cum sensus mutatus fuerit, uti: *Domine, iste sanctus habitabit in tabernaculo tuo etc.* (*Vert. Noct. Com. Conf.*). Ubi videre est verbum *Domine* idem esse ac principium psalmi, a quo desumpta est; sed sensus interrogantis ad versum psalmi pertinens mutatus est in affirmantem. 5. Aliae denique in uno verbo aut duobus cum primo versu sequentis psalmi perfecte concordant, in reliquis vero, aut relationem tantum dicunt cum verbis positis in decursu psalmi, aut nullam, litteralem saltem, relationem cum decursu psalmi continent. Primi generis est

antiphona *Beatus vir etc.* de Com. Conf. (*Ant. 1 ps. prim. Noct.*): alterius generis esset antiphona quarta Laudum in officio Omnium Sanctorum, quae eadem est cum illa Ritualis posita ad canticum *Benedicite* ad **Ordo sepeliendi parvulos.**

4. Nunc autem, praetermissis antiphonis, de quibus diximus num. 1 et 2, animadverti posset super iis, de quibus num. 3, huiusmodi antiphonam esse, partialiter saltem, e primo versu psalmi desumptam. Etenim « Cantate Domino » verba sunt communia tam primo quam secundo versui psalmi, si proinde dicatur, ut iure, ea pertinere ad alterum versum, eodem fere iure sustineri potest, ea pertinere quoque ad primum. Nec gravis apparet ratio in oppositum; vi cuius, verba « Cantate Domino » absolutam in altero, imperfectam constituunt propositionem in primo versu. Cum enim certo constet, esse eadem in utroque, exploratum quoque est, antiphonam utriusque versus esse partem, quamvis magis sit secundi, quam primi particeps. Ceterum tam subtile studium Rubricas exigere a recitantibus officium, sustineri qui poterit? Idem a fortiori concludi potest de altera « Afferte Domino etc. », quae partim a primo versu sumpta est, partim vero a secundo. Nonne hinc inferendum videtur, tam post « Afferte Domino » quam post « Cantate Domino » optime continuari posse relativum psalmum quippe qui per verba, antiphonae eidemque psalmo communia, iam fuit incoeptus?

5. Eadem fere ratione argumentari licet super antiphona, de qua in num. 4, quae cum psalmo convenit quoad primum verbum tantum. Etenim verbum « Domine » quo illa incipit, indubie de primo versu psalmi sumpta est, uti patet ex antiphonae psalmique contextu. Neque huic rei potest officere sensus psalmi interrogans, pro antiphona in affirmativum mutatus; quia verbum « Domine » in suo sensu manet, tam in psalmo quam in antiphona, idem et immutatum. Ergo, post « Domine » iure continuari posse videtur incoeptus psalmus per verba « quis habitabit etc »; quia antiphona a primo versu psalmi, licet partialiter, sumpta fuit, utcumque in reliquis accidentaliter mutata, et incipit praeterea sicut psalmus.

6. Graviorem quamdam praeseferunt difficultatem antipho-

nae, de quibus in num. 5 diximus, et altera magis quam prima. Haec, quoad prima duo, imo tria, verba, convenit cum initio versus psalmi, reliqua sumpta sunt partim e secundo versu, partim e quarto. Nihilominus et hic animadverti potest, verba prima esse communia, tam antiphonae quam psalmi initio, a quo accepta fuere. Ergo, ut supra, huiusmodi antiphona partialiter sumpta est e principio psalmi et incipit sicut psalmus. Quis proinde proibere poterit, quominus Rubrica applicetur (*Tit XX, n. 7*), adeo ut post « Beatus vir », ubi signum abruptionis habetur, incoeptus iam continuetur psalmus, quamvis reliqua verba ad alios eiusdem psalmi versus spectant? Quod alteram pertinet antiphonam, fatendum quidem est, cam, primo excepto verbo « Benedicite », nil habere relationis quoad verba, neque ad primum, neque ad alios versus totius cantici sequentis. Nihilominus animadvertere liceat, relationem, quae non est *materialis*, esse *formalem*, uti patet. Praeterea nobis videtur indubium, « Benedicite » a sequenti cantico fuisse desumptum, quod Ecclesia pro sua sapientia in hac antiphona imitata est. Concludi ergo posset, in hac quoque comprobari praefatam Rubricam. Non aliter disseri posset super aliis nonnullis antiphonis, quae enumeratis plus minusve assimilantur.

7. Verum duo hic obiici possunt, quae cl. Academicus Fourneret satis prudenter innuit. Primum. Rubrica duo exigit, ut psalmus sit continuatio antiphonae: *a)* sumptio antiphonae e principio psalmi: *b)* initium illius idem ac psalmi. Atqui, si unum verbum in antiphona sufficeret, ut dicatur illa e psalmo sumpta, secunda conditio esset prorsus inutilis, uti patet; ergo eiusmodi interpretatio Rubricae falsa est. Respondeo negando secundam praemissam et consequens. Etsi admittatur, verbum sufficere ut antiphona, partialiter inquam, dicatur e psalmo accepta, non tamen inutilis dicenda secunda conditio. Ratio est, quia antiphona partialiter e psalmo accepta reperiri posset in decursu verborum, vel in fine, primi versus: quo in casu nihil prodesset, et psalmus ab initio foret intonandus. Proinde iure lex postulat, ut non solum e primo psalmi versu sit antiphona, sed etiam ut sicut psalmus incipiat.

8. Alteram difficultatem suppeditat Rituale Romanum, quod in

*Ordo sepeliendi parvulos*, cantico *Benedicite, omnia opera Domini, Domino* praemittit inchoationem antiphonae per verbum *Benedicite*, et quidem cum notis musicis, eiusdem antiphonae propriis: postea ponit initium cantici iterum per *Benedicite* pariter cum notis musicis: denique per extensum ponit integrum canticum ab initio ad finem. Porro, si canticum esse deberet veluti prosecutio iam incoeptae antiphonae, loco *Benedicite*, secundo loco, indubie posuisset *omnia opera Domini*, uti legitur alibi circa verba *Domino meo*, quae sequuntur antiphonam *Dixit Dominus* (*1. psalm. ad Vesp. Dominicae*). Reponimus, exemplum non satis probare; quia verbum *Benedicite* ibi per accidens positum dici posset, veluti ad ostendendum canticum post inchoatam antiphonam concinendum. Insuper, cum Rituale *Canticum* notare velit, principium posuit, potiusquam sequentia verba, quae cantanda sunt; quia canticum a *Benedicite* denominatur, non autem a verbis *omnia opera Domini, Domino*. Denique in nulla ex antiquioribus editionibus Ritualis inscribitur adnotatio incipientis psalmi vel cantici, sed tantum notae musicae, quae illius cadentiam ultimam constituunt. Hinc dici forte posset, in editionibus recentioribus nil aliud esse impositum, quam quod in aliis antiquioribus prostabat.

9. Quid ergo ex dictis concludendum? Argumentationem ac thesim a cl. Academico A. Fourneret defensas, num reiicendas? Has expositas imo animadversiones assecutas ne esse veritatem? Adeo ut initium psalmi iterandum non sit, quoties antiphona incipit sicut psalmus, quin advertatur, an ea sit vel non e psalmo desumpta, cum iure id supponi queat? Hoc non fuit propositum nostrum, uti ab initio innuimus; sed tantum intendimus praefata animadvertere, ut lectores apprime sciant conclusiones in solutione praeteritae quaestionis illatas, non ita esse certas et evidentes, quod communem sibi assensum vindicare debeant. Legis namque littera spectata, uti iam diximus, optime ratiocinatio procedit; sed eadem quoque littera penitius considerata, eiusque maxime spiritu perperso, illa aliquatenus vim amittit. Eapropter censemus, quid in casu agendum, haud manifeste ex lege constare. Quid itaque pro praxi? Nisi competens auctoritas rem definiat, consultius est, ut unusquisque

ex obligatis ad officium et unaquaeque Ecclesia suam consuetudinem retineat, qui vero ex neobeneficiatis aut neoordinatis officium recitare incipiunt, in libertate sunt se gerendi prout illis melius libuerit.

# SOLUTIO QUAESTIONIS

## pro mense Aprili 1898 propositae

### PROPOSITIO.

Extat in Ecclesia B. insignis et pretiosa Reliquia S. Adaucti, cuius festum agitur sub ritu simplici in Breviario Romano (30 Aug.) una cum S. Felice Mart., habentque lectionem unicam et Orationem propriam. Parochus implicatur, et dubitat quid agendum, seu circa separationem unius ab altero festo, seu circa lectionem et Orationem, a quibus optaret S. Felicem scindere. Quomodo instruendus?

### SOLUTIO.

Quod Ecclesiae, quae aliquorum Sanctorum Reliquias insignes possident, huiusmodi Sanctorum festa sub ritu duplici minori recitare valeant, nulla est dubitandi ratio. Hoc enim communiter docent auctores innixi duobus Decretis S. Rituum Congregationis. « Moniales S. Thomae in Civitate Vicentina, quae insignem Reliquiam, nempe Spatulam et Brachium S. Mariae Cleophae habere asseruerunt, petierunt licentiam celebrandi officium de dicta S. Maria sub ritu duplici in die festivitatis eiusdem. S. R. C. respondit posse Moniales praedictas, si Reliquia est insignis, ut praesupponitur, celebrare officium de dicta Sancta sub ritu duplici sicut

(1) Duae ad nos datae fuerunt propositae quaestionis solutiones, plus minusve inter se convenientes, haud tamen in omnibus singulisque partibus; altera est cl. Anastasii Fourneret, altera Felicis Ravanat, quam selegimus.

petunt, et ita declaravit die 23 Novembris 1602 ». « Conceditur officium duplex minus pro Reliquia insigni adprobata : 13 Feb. 1666». « De Sancto, cuius insignis habetur Reliquia, ait Gavantus, si concedatur officium, fit duplex minus per annum » (*Ad Brev. Sect. III, C. II. n. 10*). « De illo Sancto cuius est Reliquia insignis, ait De Herdt, in eius die festo recitari possunt officium et Missa cum Credo sub ritu duplici in illa ecclesia, ubi asservatur » (*Sacrae Liturgiae Praxis Vol. II. n. 198*). Eamdem sententiam tenet Fumagalli (*Proptuarium Liturgicum, ed. 1889 Vol. II. p. 388*), Levavasseur (*Cérémonial selon le rit Romain Vol. I, Part. X, Sect. VI, C. III,*), Solans (*Prontuario litúrgico*, Tercera edición n. 537.), Falix (*Cérémonial Romain et Cours abrégé de Liturgie pratique, 5 ed. p. 484*). « Insignis Reliquia, aiunt *Ephemerides liturgicae*, ius habet ad officium et Missam, si rursum omnia concurrant, quae ad rem statuerunt Decreta; ritus autem, ex Decreto S. R. C. diei 23 Novembris 1602, erit duplex; celebrabitur vero die festo eius Sancti, de quo Reliquia insignis possidetur, quin Sacra Congregatio exquiratur, quae facultatem generalem concessit. Scimus autem aliunde (*Decret. 2 Octob. 1683*), quod, quando pro aliquo festo, vel officio concessus reperitur ritus duplex, absque expressione maioris vel minoris, concessio intelligitur facta de duplici minori » (*an. curr. pag. 160*).

Ex his patet a Parocho Ecclesiae B. recte celebrari posse festum S. Adaucti die 30 Augusti sub ritu duplici minori cum Credo in Missa.

Hoc supposito inquiramus nunc, an et de S. Felice una cum S. Adaucto agendum sit.

Anno circiter 1676 Didacus Diaz de Escobar Caeremoniarum Magister Ecclesiae Hispalensis, dubium sequens S. R. Congregationi proposuit : « Habetur in aliquibus Ecclesiis insignis Reliquia Sancti alicuius, qui cum socio est in corpore Breviarii, et uterque habet festi simplicis ritum, velut contingit in festo Ss. Gervasii et Protasii, quorum duae lectiones vitam amborumque mortem enarrant. Dubitatur an praedictae duae lectiones legendae sint in Officio duplici illius, cuius Reliquia habetur, vel sumendae sint de communi illius martyris, et de socio

facienda tantum sit commemoratio absque nona lectione, eo quod primae classis non sit praecipuum Officium, de quo loquitur Regula Tabellae, si occurrat eodem die ». S. Congregatio sub die 16 Ianuarii 1677 reposuit : « Si in hoc casu lectiones disiungi commode possunt, legenda est illa de Sancto, cuius fit Officium duplex propter Reliquiam insignem in 2. Nocturno, et erit quarta lectio : quinta et sexta sumendae sunt de communi ; altera vero lectio poni poterit pro nona lect. in 3. Nocturno, tanquam de Sancto simplici, de quo fieri debet etiam commemoratio ad Laudes; si vero non possunt commode disiungi, utraque ponenda est in 2. Nocturno pro 4. et 5. lect.; et 6. legenda est de communi, et in hoc casu lectio nona pro festo simplici repetenda non est; fieri tamen debet de eo commemoratio. » (*Hispalen. 16 Ian. 1677 ad 2*).

Casui illi, ab Hispalensi Caeremoniario S. R. Congregationi proposito simillimus est casus noster. In utroque enim agitur de duobus sanctis, in Breviario Romano descriptis, qui simul martyrium passi sunt, qui sub eodem ritu, simplici scilicet, eodem die recoluntur ; in utroque casu Reliquia insignis alterutrius in aliqua Ecclesia asservatur. Ex ea igitur responsione satis abunde patet, S. Adauctum non esse a S. Felice separandum quod attinet lectionem pro utroque Sancto. Et ratio in promptu est : quia videlicet prima conditio, de qua in dicto decreto loquitur Sacrum Tribunal, non comprobatur, sed bene comprobatur altera conditio : ut proinde id applicari debeat in casu nostro, quod S. R. C. dicit secundo loco, non autem quod primo.

Quod vero attinet festi separationem, duae, vi Decretorum auctorumque peritiorum, habendae sunt normae prae oculis. Etenim « cum quaesitum fuisset, ait Merati, an in Ecclesia S. Mariae in Porticu, ubi asservatur Brachium S. Marcelliani tantum, faciendum sit Officium etiam de S. Marco sub ritu duplicis minoris de Communi plurimorum Martyrum, vel potius de S. Marcelliano tantum de Communi unius Martyris : S. R. C. die 7 Augusti 1717 respondit: Officium esse recitandum de utroque Sancto de Communi plurimorum Martyrum. Ex hoc infertur non esse dividendos eos Sanctos, qui iuncti sunt per se et quasi ex natu-

ra rei, cum videlicet aliqua inter eos consanguinitas, vel affinitas intercessit (*Sect. III, cap. X, n. 11*) ». Quam Merati deductionem a S. R. Congregatione adprobatam fuisse, patet ex Decreto *in Oveten.* sub die 11 Augusti 1877 dato (*Dub. I. circa officia Titul.*). Sacra enim Congregatio interrogata an separandi essent a Socio, cum alteruter esset titularis vel alterutrius haberetur insignis Reliquia, Sancti Fratres Iustus et Pastor, Cosmas et Damianus, Hemeterius et Celidonius, Acischis et Victoria, Marcus et Marcellianus, reposuit : « praedictos Sanctos per se et ex natura rei coniunctos et eodem die in Calendario descriptos, quorum vel alter est Titularis Ecclesiae, vel alterius insignis Reliquia asservatur in Ecclesia, non esse separandos. »

Accedit Decretum *Ord. Excalceator. S. Augustini*, d. d. 11 Ian. 1749 ad 5, sententiam eandem confirmans. Quaerebatur : « An, ubi habentur insignes Reliquiae Ss.rum Virginum et Martyrum a Societate S. Ursulae, debeat de illis fieri officium duplex 21 Octobris, cum commemoratione S. Hilarionis et Ss.rum Ursulae et Sociarum, vel possit aliis distinctis extra illum diebus, de singulis in particulari, prouti hactenus alicubi die 17 et 18 Decembris observatum fuit, recitari Officium duplex ? » S. R. C. proposito Dubio reposuit : « Fieri debet Officium duplex de Ss. Ursula et Sociis cum sola commemoratione S. Hilarionis, sicut fit Romae in Patriarchali Ecclesia S. Mariae Maioris, ubi asservatur caput unius ex Sociis S. Ursulae. »

Verum habemus et aliud Decretum, quod est in *Aquen.* d. d. 4 Sept. 1745 ad 5, et maxime ad rem nostram faciens. Quaerit enim, quid agendum quando Patronus coniungitur in calendario universali cum aliis Sanctis, vel etiam quando unius ex Sanctis unitis habetur Reliquia insignis. Agitur peculiariter de S. Dionysio Patrono, coniuncto in Breviario cum Sanctis sociis Rustico et Eleutherio. Iam audi responsum ad literam : « Posse recitari de uno Sancto, scilicet de S. Dionysio, ut in calendario Basilicae Patriarchalis S. Ioannis in Laterano Urbis pro ipsomet S. Dionysio, in qua Basilica servatur humerus praefati S. Dionysii, fit officium S. Dionysii tantum, et dicitur sequens Oratio :

*Oremus. Deus, qui hodierna die B Dionysium Martyrem tuum atque Pontificem virtute constantiae in passione roborasti, tribue nobis quaesumus etc.* » (*Hoc est, verba* **quique illi Rusticum et Eleutherium sociare dignatus es**, *plane omittuntur*). « Et in eo casu transfertur officium Sanctorum Rustici et Eleutherii in diem 10 Octobris, ad normam praefatae Basilicae cum Oratione de communi *Deus, qui nos concedis etc.* »

Ergo duas, ut iam praemisimus, assignat normas S. R. C. pro separatione festorum in casu. Si Sancti sint ex natura rei iuncti ex affinitate, consanguinitate etc. coniuncti non separantur : id patet ex primis relatis Decretis. Si vero per accidens et nulla necessitudinis ratione coniuncti, tunc eorum festa separanda: et illud, cuius habetur Reliquia insignis, agendum sub ritu duplici, alterum sub ritu sibi proprio.

Hinc facile infertur, quod a festo S. Adaucti separandum est festum S. Felicis, qui, uti ex lectione constat, illi quasi fortuito coniunctus fuit in martyrio, et nulla affinitatis ratione. Separandum dico, non quia transferendum, uti festum Ss. Rustici et Eleutherii semiduplicis ritus, sed quia uti simplex commemorari debet eadem die, qua agitur festum de S. Adaucto. Quod etiam docet Cavalieri dicens : « Si de uno habeatur insignis reliquia .... Socii sub simplici, et sanctus Reliquiae sub ritu duplici minori sunt honorandi. Tom. I, Cap. V, Decr. VI, n. II ».

Ex omnibus hucusque allatis et discussis haud mihi videtur difficilis responsio ad proposita dubia, ut Parochus recte edoceatur, et sciat quomodo se gerere debeat. Igitur : 1. Parochus, in casu, die 30 Augusti duo festa celebrabit, S. Adaucti Mart. sub ritu duplici propter Reliquiam insignem, et S. Felicis item Mart. sub ritu simplici, prout in Breviario. 2. Recitabit officium de communi unius Martyris : et in II Nocturno prima lectio erit propria de ambobus Martyribus, quod dividi nequeat, ut superius expositum est : secunda et tertia erunt de pariter de eodem communi, sine IX lectione in III Nocturno. 3. Oratio pro Sancto Adaucto erit quae amborum Martyrum propria habetur in Breviario, sed propria unius S. Adaucti fiet, mutando verba

*Sanctorum tuorum*, in alias *Sancti Martyris tui Adaucti* (1). 4. Commemoratio fiet etiam de S. Felice, et huius Oratio sumetur de communi unius Martyris.

Haec mea sententia est, quae mihi videtur, et recto liturgico sensui respondeus, et superallatis decretis apprime conformis, ut bene consideranti patebit.

FELIX RAVANAT
CENS. ACAD. LITURGICAE ROMANAE

## QUAESTIO SOLVENDA

PRO MENSE IUNIO.

Quomodo, iuxta Breviarii Rubricas, diversae tractandae sunt Dominicae, quae infra aliquas differentes Octavas occurrunt: sive hae pertineant ad universalem Ecclesiam, sive ad Ecclesias particulares, et sint etiam privilegiatae?

## ADDENDA ET VARIANDA
### IN RUBRICIS MISSALIS ROMANI

## NOTANDA

QUOAD DUO DECRETA SACR. RITUUM CONGREGATIONIS
QUÆ POST BULLAM URBANI VIII
PRÆMITTUNTUR IN MISSALI ROMANO.

*In Decreto* Urbis et Orbis, *diei 29 Septembris anni 1714, quod incipit per verba* « Cum occasione Missalis etc. »

. . . . . .

(1) Quamvis exempla quaedam non desint Orationum, quae licet ad Sanctum aliquem pertineant, huius tamen non exprimunt nomen: nihilominus communiori usui Liturgico adhaerere dicti nominis exprimendi consultius iudicavimus. Hoc autem est ad normam Orationis S. Callisti occurrentis die 14 Octobris: in qua legitur: « Deus, qui nos etc. **per Sanctorum tuorum** exempla restaura »: At Clerus romanus legit: « **per B. Callisti Martyris tui atque Pontificis** exempla restaura ».

Praedictum Decretum ab eiusdem fel. rec. Alexandro VII. speciali Brevi, quod incipit « *Creditae nobis* » denuo fuit confirmatum, ac insuper statutum, idem servandum esse, quoad Missas in Altaribus Privilegiatis ex obligatione celebrandas, et Indulgentias per eiusmodi privilegia concessas Animabus in Purgatorio existentibus suffragari, perinde ac si celebratae fuissent Missae Defunctorum.

*Verba quae sequuntur* « Ac denique declaratum » *usque ad verba* « Die 22 Iamuarii 1667. Pontificatus XII. » *inclusive expungantur, ac statim sequantur* « Deinde fel. rec. Clemens IX.» *usque ad finem Decreti.*

*In Decreto altero* Urbis et Orbis, *diei 14 Martii 1861, quod incipit per verba* « Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX. ex Sacrorum Rituum Congregationis consilio » *locum habere non potest prima pars* « Quando occurrit Dedicatio Basilicarum » *usque ad verba* « Die 25 Septembris 1807 ad XI. » *inclusive ; ergo expungenda.*

IN RUBRICIS GENERALIBUS

PARS I.

III. *De Feria et Vigilia.*

N. 1. Missa de Feria dicitur ... *usque ad verba* alia de Feria post Nonam. **Missae autem Feriarum maiorum occurrentium celebrari possunt etiam in Festis semiduplicibus.**

V. *De Missis Defunctorum.*

N. 2. Praeterea Feria secunda ... *usque ad verba* praeterquam in Festis Duplicibus, et Dominicis diebus. **Missae privatae pro Defunctis ut in die obitus seu depositionis etiam in Duplicibus celebrari possunt praesente, insepulto, vel etiam sepulto non ultra biduum cadavere; exceptis Duplicibus primae classis, diebus Duplicia primae classis excludentibus, et Festis de praecepto.**

N. 3. **Una tantum Oratio dicenda est in Missis omnibus, quae celebrantur in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, die et pro die Obitus seu Depositionis, atque etiam in Missis cantatis vel lectis, permittente ritu, diebus Tertio, Septimo, Trigesimo et die Anniversario alicuiusDefuncti necnon quandocumque pro Defunctis Missa solemniter celebratur, nempe sub ritu qui duplici respondet, uti in Officio quod recitatur post acceptum nuntium de alicuius obitu, et in Anniversariis late sumptis.**

*Deinde addatur* :

N. 4. **In Missis quotidianis quibuscumque sive lectis, sive cum cantu plures sunt dicendae Orationes, quarum prima pro Defuncto vel Defunctis certo designatis, pro quibus Sacrificium offertur, ex iis quae infra in Missali habentur, secunda ad libitum, ultima pro omnibus Defunctis. Si vero pro Defunctis in genere Missa celebretur, Orationes sunt dicendae, quae pro**

**Missis quotidianis in hoc Missali prostant eodemque ordine, quo sunt inscriptae. Quod si in iisdem quotidianis Missis plures Orationes Celebranti placuerit recitare, ut de Feriis et Simplicibus dicetur infra in Rubrica de Orationibus, id fieri potest tantum in Missis lectis, impari cum aliis praescriptis servato numero, et Orationi pro omnibus Defunctis postremo loco assignato.**

N. 5. Sequentia pro Defunctis dicitur in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, et Depositionis Defuncti, **in quibusvis cantatis Missis, uti etiam in lectis, quae diebus ut supra privilegiatis fiunt: in reliquis autem Missis vel recitari vel omitti potest ad libitum Celebrantis.**

VI. *De Translatione Festorum.*

In dicendis Missis servetur Ordo Breviarii de Translatione Festorum Duplicium, quando maiori aliquo Festo, seu Dominica impediuntur. In Ecclesiis autem ubi Titulus est Ecclesiae, vel concursus populi ad celebrandum Festum quod transferri debet, possunt cantari duae Missae, una de die, alia de Festo: excepta Dominica prima Adventus, Feria quarta Cinerum, Dominica prima Quadragesimae, **Dominica Passionis,** Dominica Palmarum cum tota Hebdomada maiori, Dominica Resurrectionis **cum sequenti biduo, Dominica in Albis,** Dominica Pentecostes **cum duabus sequentibus Feriis, Dominica Ss.mae Trinitatis,** die Nativitatis Domini, Epiphaniae, Ascensionis et Festo Corporis Christi.

VII. *De Commemorationibus.*

N. 5. In faciendis Commemorationibus servetur Ordo ut in Breviario. **Primo loco illae Commemorationes praeponuntur quae ad Officium cuiuscumque ritus pertinent; exceptis illis, quae ab Officio de quo agitur, nunquam separantur. Deinde: 1. de Dominica privilegiata, 2. de die Octava, 3. de Duplici maiori, 4. de Duplici minori ad instar simplicium redacto, 5. de Dominica communi, 6. de die infra Octavam Corporis Christi, 7. de Semiduplici, 8. de die infra Octavam communem ad simplicem ritum pariter redacto, 9. de Feria maiori, vel Vigilia, 10. de Simplici:** de Festo Simplici **fiat Commemoratio** ante Orationes quae secundo, vel tertio loco dicendae assignantur: et hae dicantur ante Orationes votivas: in quibus votivis servetur deinde dignitas Orationum, ut de Ss.ma Trinitate, de Spiritu Sancto, de Ss.mo Sacramento, de S. Cruce ante votivam de B. Maria, et de Angelis, de S. Ioanne Baptista et S. Ioseph ante Apostolos, et similiter in aliis.

PARS II.

I. *De Praeparatione Sacerdotis celebraturi.*

N. 4. Si Celebrans sit Episcopus, non ducit stolam ante pectus etc.

V. *De Oratione.*

N. 2. Cum nominatur nomen IESUS, caput versus Crucem inclinat: quod etiam facit cum

nominatur in Epistola. Et similiter ubicumque nominatur nomen B. Mariae, vel Sanctorum, de quibus dicitur Missa, vel fit Commemoratio: item in Oratione pro Papa, quando nominatur, semper caput inclinat, non tamen versus Crucem: **nisi in loco principali Altaris habeatur simulacrum vel imago B. M. V. aut Sancti, ad quam caput inclinatur.** Si plures Orationes sint dicendae, idem in eis, in voce, extensione manuum, et capitis inclinatione, quod supra dictum est, observatur.

VII. *De Offertorio, et aliis usque ad Canonem.*

N. 5. Imposita aqua in Calice et finita Oratione praedicta accipit etc. . . . In spiritu humilitatis. Postea erectus, elevans oculos, manusque expandens **easque in altum porrectas,** et statim iungens ante pectus etc.

VIII. *De Canone Missae usque ad Consecrationem.*

N. 1. Finita Praefatione, ut supra, Sacerdos stans ante medium Altaris versus ad illud, **extendit et** aliquantulum elevat manus, oculisque elevatis ad Deum, etc.

XII. *De Benedictione in fine Missae et Evangelio Sancti Ioannis.*

N. 7 In Missa solemni Celebrans eadem voce et modo quo in Missis privatis, semel tantum benedicit populo, nisi sit Episcopus, vel Abbas **pontificaliter celebrans** ut infra: et dicto Evangelio etc.

IN RUBRICIS SPECIALIBUS

1. *Dominica II. Adventus et Feria IV. Quatuor Temporum Adventus.*

Offertorium. Ps. 84. Deus, tu **conversus** vivificabis nos, etc.

2. *In Festo Ss. Innocentium. In fine Missae.*

Si Festum S. Thomae impediatur a Dominica, celebratur Feria secunda sequenti, tamquam in sede propria. **Expungatur integra.**

3. *In Festo S. Thomae Episc. Mart.*

*In fine Missae.*

Si Festum Nativitatis Domini, S. Stephani, S. Ioannis Evangelistae, et Ss. Innocentium **occurrerit** in Dominica, ipsa die nihil fit de Dominica; sed die proximo post Festum S. Thomae Mart. dicitur Missa de Dominica. Si autem Festum S. Thomae **occurrerit in Dominica, Missa dicitur de Festo cum Commemoratione eiusdem Dominicae et quatuor Octavarum, et legitur Evangelium Dominicae in fine.**

4. *In fine Missae de Octava Nativitatis Domini.*

Si Festum S. Silvestri venerit in Dominica, dicitur Missa de eo cum Commemoratione Dominicae et Octavarum, **et legitur Evangelium Dominicae in fine.**

S. Silvestri I. Papae, Conf.

5. *Post Festum Epiphaniae Domini.*

**Si Festa duplicia primae classis occurrant infra Octa-**

**vam, non tamen in die Octava, de eis dicitur Missa cum Commemoratione Octavae: de aliis vero Festis, exceptis Simplicibus, de quibus fit Commemoratio, nihil fit; sed peracta Octava perpetuo celebrantur. In die vero Octava, Missa semper de eadem dicitur, translato etiam Duplici primae classis, quod post eamdem Octavam perpetuo recolitur; de Simplici autem occurrente fit tantum Commemoratio.**

6. *Die 7. Decembris.*
*Post Missam S. Ambrosii Episc., Conf., et Eccl. Doct. Addatur:*

**Hodie in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis dicuntur duae Missae, una de Sancto sine Commemoratione Feriae et Vigiliae, altera de Vigilia uti sequitur.**

7. *Die 11. Decembris in Missa S. Damasi I. Papae, Conf. et Die 13. Decembris in Missa S. Luciae Virg. et Mart. Post Secretam Addatur:*

**Praefatio de B. Maria Virg.** Et te in Conceptione Immaculata.

8. *Die 23. Februarii.*
*Post Missam S. Petri Damiani Episc., Conf. et Eccl. Doct. Addatur:*

**Hodie extra Quadragesimam in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis dicuntur duae Missae, una de Sancto sine Commemoratione Vigiliae, altera de Vigilia cum secunda Oratione** *Concede*, **tertia** *Ecclesiae*, **vel pro Papa.**

9. *Die 19. Martii.*
*In Missa S. Ioseph, Sponsi B. M. V.*

**Si hoc Festum occurrerit in Dominica Passionis, transferendum erit in Feriam secundam immediate sequentem; et quoties inciderit in Maiorem Hebdomadam, reponendum erit in Feria quarta post Dominicam in Albis, tanquam in sede propria.**

Introitus. Ps. 91. Iustus etc.

Post Graduale etc. *In Missis votivis post Tempus Paschale usque ad Septuagesimam.* Graduale Ps. 20. Domine praevenisti etc. **Integra expungatur.**

10. *Die 25. Martii.*
*Post Missam Annuntiationis B. Mariae Virginis.*

**Si hoc Festum venerit Feria VI. in Parasceve vel Sabbato Sancto, trasferendum erit in Feriam II. post Dominicam in Albis tamquam in sedem propriam, integra cum solemnitate ac feriatione et sine Octava, servato tamen ritu Paschali. Si vero occurrerit in Dominica Passionis, transferatur in Feriam II. immediate sequentem: quodsi incidat in Hebdomadam Maiorem vel Paschalem, ad enuntiatam Feriam II. post Dominicam in Albis amandetur, ac nonnisi Festo primario eiusdem ritus occurrente valeat impediri, quo in casu in sequentem diem similiter non impeditam transferatur.**

11. *Feria IV. post Dominicam Passionis. Post Missam Septem Dolorum B. Mariae Virginis.*

**Quando Festum Septem Do-**

**lorum B. M. V. hac Feria celebrari nequit ob occursum alicuius Festi altioris ritus, aut aequalis sed primarii, vel potioris dignitatis**, trasferendum **est in** Sabbato immediate sequens. **simili modo non impeditum. Quod si neque in dicto Sabbato celebrari potuerit. eo anno omittatur.**

12. *Dominica I. Iulii. Post Missam Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C.*

Si hodie occurrat Festum Visitationis B. M. V., vel aliud Festum **altioris ritus,** aut aequalis **sed primarium,** de Pretiosissimo Sanguine fiet prima die, etc.

13. *Die 8. Septembris. In Missa Nativitatis B. Mariae Virginis.*

In Rubrica et Orationibus pro S. Hadriano Mart. nomen ipsius S. Mart. *Adriani, Adriano* corrige **Hadriani, Hadriano.**

14. *Die 9. Septembris. In Missa S. Gorgonii Mart. Post Orationem* Sanctus tuus.

Tertia Oratio de Spiritu Sancto, *Deus, qui corda fidelium.* **Dein expungantur quae sequuntur.**

15. *Die 11. Septembris. Post Orationem Ss. Proti et Hyacinthi Mm.*

Tertia Oratio de Spiritu Sancto, *Deus, qui corda fidelium.* **Reliqua expungantur ut supra.**

16. *Dominica III. Septembris. Post Missam Septem Dolorum B. Mariae V.*

Impedita Dominica III. Septembris ob occursum **Festi Duplicis 1. vel 2. classis, vel alicuius diei Octavae. vel Duplicis maioris primarii, aut potioris dignitatis**, Festum Septem Dolorum transfertur in proximiorem Dominicam **simili modo non impeditam.** Quod si usque ad Adventum nulla supersit Dominica libera, Festum Septem Dolorum ponatur, iuxta Rubricas, in prima die non impedita post Dominicam III. Septembris.

Si Festum Ss. Cornelii et Cypriani occurrat in Feria IV. Quatuor Temporum, in Missa Ss. Cornelii et Cypriani fit Commemoratio de Feria, postea de Ss. Euphemia etc. Et in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis dicuntur duae Missae, una de Ss. Cornelio et Cypriano, in qua fit Commemoratio Ss. Euphemiae etc., altera de dicta Feria sine Commem. Ss. Martyrum.

17. *In Missa de Communi Doctorum. — Postcommunio.*

**Pro Doctore Pontifice.**

Ut nobis, Domine, tua sacrificia dent salutem: beatus N. **Pontifex tuus** et Doctor egregius, **quaesumus**, precator accedat. Per Dominum.

**Pro Doctore non Pontifice.**

Ut nobis, Domine, tua sacrificia dent salutem: beatus N. Confessor tuus et Doctor egregius, **quaesumus**, precator accedat. Per Dominum.

18. *Post Missam de Dedicatione Ecclesiae.*

In ipsa die Dedicationis Ecclesiae **et per Octavam, et quando varianda est Oratio ob occursum Dedicationis alterius Ecclesiae,** Missa dicitur ut supra in Anniversario Dedicationis, exceptis Orationibus, quae dicuntur ut sequitur.

PRO ALIQUIBUS LOCIS.

*Die 15 Maii.*

19. *In Missa S. Isidori Agricolae Conf.— Postcommun.*

Sit nobis, Domine, reparatio mentis et corporis coeleste mysterium : et praesta ; ut **cuius exsequimur cultum, intercedente Sancto Isidoro Confessore tuo,** sentiamus effectum. Per Dominum.

## URBIS ET ORBIS

Quum per generale Decretum super primariis et secundariis Festis iusserit Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII. ad illius normam Rubricas Breviarii et Missalis Romani esse interpretandas, Decretaque in contrarium facientia penitus abroganda; factum est, ut plura Sacrorum Rituum Congregationi proposita fuerint resolvenda dubia; quibus per alia subsequentia Decreta idem Sacrum Tribunal satisfacere officii sui duxit.

His autem quum alia quoque, controversias exortas penitus evellendi causa, accessissent recentiora Decreta pro quarumdam tam Breviarii quam Missalis Rubricarum authentica interpretatione ; E.mus ac R.mus D.nus Cardinalis Caietanus Aloisi-Masella, tunc Sacrorum Rituum Congregationis Praefectus, Summi Pontificis proposito inhaerens, ut inter latas Decretorum leges Rubricarumque praescriptiones maxima exstaret conformitas, munus concredidit Commissioni Liturgicae praefatas revisendi examinandique Rubricas, easque ad recentiorum Decretorum normam concinnandi.

Opus vero ab ipsa Commissione absolutum, prouti in superiori extat exemplari, quum idem E.mus ac R.mus D.nus Card. Aloisi-Masella Relator in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Vaticanum subsignata die habitis proposuisset : E.mi ac R.mi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus mature perpensis, Rubricas sic emendatas approbari posse censuerunt. Die 7 Decembris 1897.

Quam sententiam deinde per infrascriptum Cardinalem Sacro eidem Coetui Praefectum Sanctissimo Domino Nostro Leoni

Papae XIII. relatam, Sanctitas Sua ratam habuit, ac suprema Auctoritate Sua confirmavit: simulque praecepit, ut suprascriptae variationes, hoc Decreto approbatae, in novis editionibus Breviarii et Missalis Romani, servatis de cetero servandis, inserantur. Contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali mentione dignis. Die 11, iisdem mense et anno.

C. Card. Mazzella *Praef.*

L. ✠ S.

Diomedes Panici S. R. C. *Secretarius*

---

**Errata-Corrige.** *In praeced. fascic.* 1. Lectores ponimus facile animadvertisse mendum typographicum, quod pag. 193, n. 22, irrepsit, dum romanus numerus **V.** debuerat esse **VI**, cum ceterum non detur feria V in Parasceve, sed VI.

2. Ad pag. 194, n. 24, post verba « **item societatum omnium** » adiungentum est « **a SS.ma Eucharistia** » : quod in omnibus editionibus hucusque vulgatis omissum est.

*Nota.* Ad pag. 186 inscripsimus in nota: De festo redacto ad ritum simplicem tertia com. pro secundis Vesperis omittenda est ex lege generali (*V. Rubr. Gen. Tit. IX, n. 4*). Id *in casu* intelligas: quia II Vesperae octavae SS. Corporis Christi concurrunt cum primis Vesperis Sacratissimi Cordis Iesu. Quod cum sit dup. I. cl. excludit tertiam com. diei octavae simplificatae. Cum ergo Rubrica hic velit primam et secundam, non solum, sed etiam hanc tertiam commemorationem, satis patet, per hoc exceptionem fieri legi generali. Neque deneganda est concurrentia festi sacratissimi Cordis, quia de eo nihil faciendum, et II Vesperae integrae sunt de die octava Corporis Christi. Id enim oritur ex peculiari dispositione, et ex identitate obiecti, non ex festi natura.

# QUAESITUM MORALE-LITURGICUM

« Quousque se extendat potestas Diaconi circa Eucharistiam ».

1. Nonnulla hoc super negotio proposita fuerunt nobis resolvenda dubia, quibus ut faciamus satis, generale conferimus quaesitum, sub quo illa continentur, et e quo eadem, veluti consectaria, inferemus. Idque agimus, quia aliquod ex iisdem dubiis facilis quidem est solutionis, aliquod vero discussioni subiacet. Quod autem, post disceptationem, magis nobis videtur approbandum, id retinebimus et in praxi sequendum lectoribus nostris exhibebimus.

2. Diaconi circa Eucharistiam potestas, alia est vi muneris sui, alia vi delegationis seu commissionis: utraque in diaconatus Ordine fundamentum habet. « Diaconus, ait Lehmkuhl, quamquam ex Ordinatione sua id habet, ut possit Sanctissimam Eucharistiam dispensare; tamen ex hodierna praxi hoc non potest, nisi ad causam alicuius necessitatis, commissio Sacerdotis accessit (*P. II, Lib. I, Tract. IV, n. 135*) ». Exploratum est enim ante omnia, Diaconum esse essentialiter ministrum, uti ex ipsa graeca voce indubie constat, Diaconus namque idem est ac minister. Eapropter, licet hoc nomine vocentur inferiores clerici, proprie loquendo eiusmodi nomen soli Diacono de iure competit. « Ministrorum appellatio, ait cl. D'Annibale, lata significatione continet clericos minores, nempe Ostiarios, Lectores, Exorcistas, Acolythos, immo et Hypodiaconos; propria et vera, Diaconos tantum (*Summ. Theol. moral. Pars prima, Tract. I, De person. n. 89*) ».

Minister autem inservire fas est suo domino, hic vero, qui immediate illi praecst, Sacerdos est : super utrumque est Episcopus, cum Hierarchia constet Episcopis, Presbyteris et Ministris, hoc est Diaconibus. Sacerdos est minister Eucharistiae, et quidem unicus, si confectionem eius consideres, quae Diacono absolute non competit. Ait enim perbelle Divus Thomas : « hoc Sacramentum esse tantae dignitatis, quod non conficiatur nisi in persona Christi..... quicumque autem aliquid agit in persona alterius, oportet hoc fieri per potestatem ab illo concessam. Sicuti autem baptizato conceditur a Christo potestas sumendi hoc Sacramentum; ita Sacerdoti consecrandi cum ordinatur conceditur potestas hoc Sacramentum in persona Christi ; per hoc enim ponitur in gradu eorum, quibus dictum est a Domino: **hoc facite in meam commemorationem** (*Pars III, quaest. 82, art. 1*) ».

3. Si vero Eucharistia consideretur quod dispensationem attinet, id quoque primario competit Sacerdoti, uti eiusdem dispensationis ministro ordinario. Hinc praelaudatus Angelicus scribit : « Sicuti dictum est, Sacerdos consecrat in persona Christi ; ipse autem Christus sicut consecravit corpus suum in coena, ita et aliis sumendum dedit : unde sicut ad Sacerdotem pertinet consecratio corporis Christi, ita ad eum pertinet dispensatio (*Loc. cit. art. 3 et 4*) ». *Primario* nihilominus diximus; quia etiam Diacono competere dispensatio potest. Minister enim ipse est ordinarius et extraordinarius : quatenus ordinarius ei de iure competit munus canendi Evangelium in Missa, et celebranti Presbytero ministrare : quatenus extraordinarius, committi ei potest munus praedicandi, baptizandi solemniter, et etiam Eucharistiam fidelibus dispensandi. Apprime nihilominus hoc notandum, hanc potestatem esse non ordinariam, sed extraordinariam. Hinc Arelatense Concilium : « Diaconus Corpus Christi, praesente Presbytero

tradere non praesumat »; et Cartaginense IV ait : « Diaconus, praesente Presbytero, Eucharistiam corporis Christi, si necessitas cogat, iussus eroget ».

Itaque minister ordinarius dispensationis Eucharistiae est Sacerdos, qui postquam seipsum communicaverit, communicat populum, iuxta antiquissimam Ecclesiae consuetudinem. Sed fatendum quoque est, Diaconum eiusdem dispensationis esse extraordinarium ministrum, quatenus huiusmodi dispensatio, et in antiquitate ei commissa fuit, et etiam impraesenti illi committi potest.

4. Sed quaestio hic institui potest utrum Diaconus Eucharistiae dispensationis minister sit extraordinarius, sive de Eucharistia agatur sub speciebus panis, sive sub speciebus vini. Ratio dubitandi est, quia Corpus Christi immediate tangere non competit Diacono, sed Sacerdoti tantum qui illud consecrat ; ergo neque ei competit ius illud fidelibus dispensandi. At Corpus Christi mediate tangere Diacono de iure competit, ergo et ei videtur competere ius illud tradendi sub speciebus Sanguinis, quod per calicem exequitur. Arroges velim, in antiquitate, uti referunt auctores communiter et maxime Antonius Zaccaria, primum fuisse ritum, *quod attinet ad ministros, ut Sacerdos daret Corpus populo*, **et Diaconus Sanguinem** (*Bibliot. Rit. Lib. II, tert. quaest. n. 1*). Notatque id esse apud Clementem (*Lib. VIII Const. cap. 20*), et Cyprianum indicatum (*Lib. de Lapsis*).

Verum hanc distinctionem in auctoribus non legimus, qui universaliter admittunt, nonnisi illum esse posse ordinarium Eucharistiae dispensationis ministrum, qui minister est illius consecrationis. Cumque uni id competat Sacerdoti, et nos concludendum censemus cum aliis, Diaconum nonnisi extraordinarium esse posse ministrum dispensationis Eucharistiae sive sub una sive sub altera specie. Hinc S. Laurentius Xysto Pontifici dicebat, sibi *com-*

*missam esse ab illo dominici Sanguinis dispensationem* (1).

5. Eapropter quae leguntur circa eiusmodi ministerium Diaconorum, hoc sensu interpretanda videntur, utcumque verba sonent. Ita ex. gr. S. Iustinus habet: « Qui apud nos vocantur Diaconi atque ministri, distribuunt unicuique praesentium, ut participent eum, in quo gratiae actae sunt, panem, vinum et aquam, et ad absentes perferunt (*Apolog. II.*) ». Sed hoc intelligas a Diaconis factum, quatenus illis commissum erat. Secus profecto Ancyrae Concilium dicere non potuisset: « Diaconi..... honorem quidem habeant; cessare vero ab omni sacro ministerio, sive a pane, sive a vino, sive a calice offerendo, vel praedicando (*Can. II.*) ». Eadem quoque ostenditur veritas ex diversa, quae, hoc in negotio, uti Selvagius docet (*Antiq. christ. Lib. II, pars II, cap. III, § 3, N. XI*), disciplina servata antiquitus fuit in Ecclesiis: adeo ut alicubi solus Episcopus, alicubi etiam Diaconi, sed calicem tantum, alicubi etiam hi Corpus populo ministrarent. Omnia idem demonstrant, Diaconum videlicet in Eucharistiae dispensatione, sive sub panis, sive sub vini speciebus consi-

(1) In antiquioribus Breviarii Romani editionibus legebatur: « dominici Sanguinis *consecrationem* ». Sed mendum indubie erat, uti praelaudatus P. Zaccaria animadvertit, *quo loco est mendum. Namque*, idem prosequitur, *Diaconum Sanguinem consecrasse alienum est ab omni consuetudine, et nusquam legitur*. Aut itaque *consummationem* legendum erat: quia, sumpto Corpore, nondum erat absolutum sacrificium, sed per communionem Sanguinis consummabatur: aut legendum erat *confirmationem*: quia postquam fideles acceperant Corpus, Diaconi qui calicem iis porrigebant, *confirmare* dicebantur. Aut denique legendum *dispensationem*, uti Ecclesia posuit, quod verbum communioris et clarioris est significationis. Plura super hoc legi possunt, perlucide et erudite ab eodem Zaccaria loco citato conscripta.

deretur, fuisse tantum extraordinarium, haud vero ordinarium ministrum, ac proinde Eucharistiam dispensare non posse sine commissione.

6. Inquiri nunc potest, a quo Diaconus committi possit, ut dispensare fidelibus Eucharistiam valeat. Certum imprimis est, eum nonnisi a suo superiore posse delegari, quod abunde patet et probatione non indiget. Insuper indubium est, Sacerdotem quemlibet esse Diacono superiorem. At in casu ille solus censetur illius superior, qui ei peculiariter praesidet, et cui Diaconus subest. Subest autem quicumque minister Pontifici Romano, subest Diaconus suo Episcopo, subest suo Parocho; et subest etiam cuicumque alii Sacerdoti, cui ius sit in casibus particularibus, et a fortiori onus, Eucharistiam ministrandi. Sic nos exprimimus; quia nemini dubium est, Eucharistiam dispensari non posse sine ulla iurisdictione, uti auctores notant, esset enim alterius iurisdictionem, et quidem in re gravi, violare. Quinimo, si agitur de Diacono, non solum rem graviter illicitam ageret, sed iuxta aliquos irregularitatem incurreret; quia non est ordinarius minister (*V. S. Alphons. Theolog. Mor. Lib. VI, cap. II, Dub. I, art. II, n. 234*). Alii vero, et ni fallimur, rationabilius, id negant. Et sane, unde habet Diaconus ut ministrare Eucharistiam valeat? Nonne ex Ordine, uti fere communiter admittitur, et nos ab initio notavimus? Delegatio autem efficit tantum, ut actus ab Ordine procedens licitus fiat, et foret illicitus sine delegatione, quia dictae dispensationis est tantum extraordinarius minister. Id nisi verum admittas, fateri cogeris Subdiaconum quoque vel alium inferiorem ministrum posse a Sacerdote delegari, quod falsum est. Ergo administratio Eucharistiae in Diacono est actus Ordinis, sed extraordinarius. Porro si in dispensanda Eucharistia actum Ordinis quem habet, exercet, quomodo irregularitatem incurreret Diaconus? Hinc

Morinus : « An vero si absque commissione (*Diaconus*) communicat populum..... etiam extra necessitatem , incurrat irregularitatem, disputant Theologi, sed plures probabilius negant; ratio, quia in hoc casu non sibi usurpat actum Ordinis, sed tantum ei deest iurisdictio (*Vol. 2, De Ord. cap. II, art. III, n. 666*) ». Solidius thesim confirmat Ballerinius : « Si de Diacono agitur, quaestio erit, an distributio Eucharistiae sit actus Ordinis Diaconatus necne , quod certe esse potest, etsi ad licitam dispensationem commissio requiratur. Si enim Diaconus est ad hoc quoque ordinatus, illicita eius administratio non erit usurpatio actus Ordinis, quem non habet, ideoque causa deerit incurrendae irregularitatis. Iam vero sunt qui putant, Ordinem Diaconatus huc quoque spectare , ut Eucharistia fidelibus distribui possit (*Lugo c. I, n. 7*); dubia ergo erit irregularitas; atqui irregularitas non incurritur nisi certa (*Tract. X, De Sacr. Sect. IV, cap. II. n. 85*) ». Ex quibus palam sequitur, Diaconum ab iis tantum, quos diximus, ad Eucharistiam ministrandam delegari posse.

(*Continuabitur*)

# APPENDIX

## E S. R. UNIV. INQUISITIONE

### I.

*Beatissime Pater,*

N.N. ad pedes S. V. provolutus humiliter petit quid agendum sit cuidam clerico, in cuius ordinatione presbyterali Episcopus inadvertenter ita corrupit formulam ut dixerit : *Accipe Spiritum Sanctum ; quorum retinueris peccata, remissa sunt ; et quorum retinueris, retenta sunt.*

*Feria V, loco IV, 9 Decembris 1897.*

In Cong. Gen. S.R. et U. I. habita ab E.mis et R.mis DD. Card. in rebus fidei et morum Gen. Inquisitoribus, proposito suprascripto dubio, prachabitisque RR. DD. CC. S. Officii votis, iidem E.mi ac R.mi Patres respondendum censuerunt:

« Secreto et sub conditione quovis anni tempore suppleatur ad cautelam a quovis Episcopo cum Sancta Sede communionem habente, induto de more, *tertia manuum impositio* et forma respectiva: *Accipe Spiritum S.* etc.: et quoad praeteritum, acquiescat ».

Insequenti vero feria VI, die 10 dicti mensis et anni in solita audientia R. P. D. Adsessori S. O. impertita, facta de his omnibus SS.mo D. N. Leoni Div. Prov. Pp. XIII. relatione, S. S. resolutionem E.morum Patrum, contrariis non obstantibus quibuscumque, in omnibus adprobavit.

I. Can. Mancini, S. R. et U. I. Not.

II.

Ab H. S. Inquis. sequentis dubii solutio expostulata est, nimirum:

Utrum admitti possint vexilla, sive vexillum dictum nationale, in Ecclesiis, occasione functionum religiosarum, et in adsociatione cadaverum ad coemeterium cum funebri pompa et interventu cleri?

Responsum fuit die 3 Oct. 1887:

« Quatenus agatur de vexillis, quae praeseferunt emblemata manifeste impia vel perversa, si ea extollantur in pompa funebri, clerus inde recedat: si in Ecclesiam per vim inducantur, tunc si missa nondum inchoata fuerit, clerus recedat, si inchoata, post eam absolutam auctoritas ecclesiastica solemnem protestationem emittat de violata templi et sacrarum functionum sanctitate. Quatenus agatur de vexillis ita dictis nationalibus, nullum emblema de se vetitum praeferentibus in funebri pom

pa tolerari posse, dummodo feretrum sequantur, in Ecclesia vero non esse toleranda ».

Quid vero agendum, si vexilla dicta nationalia violenter in Ecclesiis introducantur?

Idem S. Officium, sub die 24 Nov. 1897 respondit: « detur Decretum S. Poenitentiariae *in Apuana* sub die 4 Aprilis 1887 ».

Decretum autem sic sonat:

« Quatenus agatur de vexillis, quae praeseferunt emblemata manifeste impia vel perversa, si ea extollantur in pompa funebri, clerus inde recedat; si in ecclesiam per vim inducantur, tunc si missa nondum inchoata fuerit, clerus recedat; si inchoata, post eam absolutam auctoritas ecclesiastica solemnem protestationem emittat de violata templi et sacrarum functionum sanctitate. Quatenus agatur de vexillis ita dictis nationalibus, nullum emblema de se vetitum praeseferentibus, in funebri pompa tolerari posse dummodo feretrum sequantur; in ecclesia vero non esse toleranda, nisi secus turbae aut pericula timeantur ».

## III.

*Beatissimo Padre*, (1)

Il Vicario e Procuratore Generale dei Ministri degl'Infermi, umilmente prostrato al bacio del S. Piede, espone alla S. V.

(1) Vicarius et Proc. Gen. Minist. Inf. humili osculo S. V. pedes amplexus, exponit quod a nonnullis Provincialibus sui Ordinis, varia proposita sunt dubia relate ad acceptationem, professionem, ordinationem et electionem ad praelaturas, in favorem haereticorum eorumque filiorum et nepotum ad fidem conversorum, et ad statum religiosum adspirantium.

Et quum dicta dubia non sunt mere theorica, sed praxim spectant saepeque conscientiae angoribus ansam praebent, speciatim in regionibus Germaniae et Septentrionis: hinc est, quod orator humiliter postulat a S. V. solutionem sequentium dubiorum:

1° Utrum ex facto quod quis *natus fuerit in haeresi:* vel habuerit genitores, patruos, avunculos, fratres vel consobrinos *haereticos* vel *cum haereticis* desponsatos, oriatur, vi legis communis, impedimentum a Professione religiosa arcens?

come da alcuni Provinciali del suo Ordine siano stati promossi varii dubbii intorno all'accettazione, professione, ordinazione ed elezione, a prelature degli eretici e loro figli e nipoti, convertiti ed aspiranti allo stato religioso.

E poichè tali dubbii non sono solamente teoretici, ma riguardano la pratica e sono spesso causa di angustie di coscienza e ciò specialmente nei paesi della Germania e del Nord: così è che l'oratore umilmente implora dalla S. V. la soluzione dei seguenti dubbii, cioè:

I. Se l'essere *nati nell'eresia*: o l'avere genitori, zii, fratelli o cugini *eretici o maritati ad eretici*, sia per legge comune un impedimento che esclude dalla Professione religiosa?

II. Se sia esatto il dire, che pel fatto dell'*altrui* eresia incorrono la irregolarità solamente coloro che hanno eretico o il Nonno, o il Padre, o la Madre?

III. Se possa seguirsi la dottrina di coloro che insegnano tale irregolarità non incorrersi nella Germania, pel fatto che ivi *parentes nulla laborant infamia*? e se tale dottrina possa estendersi a tutte quelle regioni, ove la Religione dominante è eterodossa o protestante?

IV. Se i legittimamente dispensati dalla irregolarità in rispetto alla S. Ordinazione, possano pel fatto della Professione re-

---

2° Utrum recte dici possit, quod ob *alterius* haeresim, irregularitatem incurrunt ii solum qui haereticos habent vel Avum, vel Patrem, vel Matrem?

3° Utrum teneri possit doctrina illorum qui docent talem irregularitatem non incurri in Germania, ex eo quod inibi, *parentes nulla laborant infamia?* Utrum talis doctrina possit extendi ad illas omnes regiones, in quibus Religio praedominans est haeterodoxa vel protestantica?

4° Utrum illi qui legitime dispensantur ab irregularitate quoad sacram Ordinationem ex facto Professionis Religiosae promoveri possint ad Praelaturas Ordinis: vel saltem utrum ad hoc possint obtinere facultatem a respectivis Superioribus, quoties isti possint ex antiqua concessione directa, et Conc. Trid. posteriori, « ex quocumque capite etc. ». *Latina Versio ex Anal. Ecclesiast.*

ligiosa venir promossi alle Prelature dell'Ordine: ovvero se possano essere a ciò autorizzati dai loro Superiori, quando questi abbiano per antica concessione diretta e posteriore al Concilio di Trento di potere « ex quocumque capite vel causa, praeterquam homicidii voluntarii, bigamiae, ac membrorum mutilationis, irregularitatem incurrentes, Apostolica auctoritate, in forum conscientiae tantum absolvere, necnon cum eis, etiam cum rehabilitatione, et abstersione inhabilitatis et infamiae maculae, dispensare?

Che ecc.

*Fer. V. loco IV, 3 Februarii 1898*

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis habita ab E.mis ac R.mis DD. Cardinalibus in rebus fidei Generalibus Inquisitoribus, propositis suprascriptis dubiis, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EE.mi ac RR.mi D.ni respondendum mandarunt:

Ad I. Negative, salvis Constitutionibus cuiusvis Religiosae Familiae propriis.

Ad II. et III. Detur Decretum fer. IV. 4 Decembris 1890: id est: *Filios haereticorum, qui in haeresi persistunt vel mortui sunt, ad primum et secundum gradum per lineam paternam, per maternam vero ad primum dumtaxat, esse irregulares etiam in Germania et in aliis locis, de quibus petitur: ideoque dispensatione indigere ut ad Tonsuram et ad Ordines promoveantur.*

Ad IV. Prout exponitur, negative.

Sequenti vero die et feria, facta de praedictis relatione SS. D. N. Leoni PP. Div. Prov. Papae XIII in solita audientia R. P. D. Adsessori S. O. impertita, Sanctitas Sua E.morum Patrum resolutionem adprobavit.

I. Can. MANCINI, *S. R. et U. I. Not.*

## E SACRA POENITENTIARIA

*Beatissime Pater,*

Vicarius Generalis Episcopi X. quaerit an ementes bona Religiosorum quae fiscus vendit eo quia iidem Religiosi solvere recusant taxam a lege civili impositam, vulgo *loi d'abonnement*, incidant in excommunicationem Romano Pontifici reservatam.

Sacra Poenitentiaria, re mature considerata, respondet: Emptores de quibus agitur incidere in excommunicationem Romano Pontifici simpliciter reservatam vi capitis XI. *Sess.* 22, *de Reform.* Concilii Tridentini.

Datum Romae, in Sacra Poenitentiaria die 21 Maii 1897.

A. Carcani, *S. P. Reg.*

IMPRIMATUR

P. Fr. Albertus Lepidi O. P.

S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Franciscus Cassetta Patriarch. Antioch. Vicesgerens.

Proprietas Literaria.

Romae, Typis Fratrum Amoroso, Piazza della Torretta Borghese N. 22-25.